Εἰκὼν βασιλική.

VEL

Imago Regis CAROLI.

In illis ſuis

ÆRUMNIS

ET

SOLITUDINE.

Rom. 8.

Plùs quàm victor &c.

Bona Agere & mala Pati Regium eſt.

HAGÆ-COMITIS

Ex Officina *Samuelis Broun*, Bibliopolæ Anglici. M DC XLIX.

2

Sereniſſimo & Potentiſſimo Monarchæ

CAROLO

SECUNDO,

Dei Gratia *Magnæ Britanniæ Franciæ* & *Hiberniæ* Regi, Fidei Defenſori, &c.

Sereniſſime REX,

P*Rodeat jam ſub Tuis Auſpiciis Illa Patris Tui Glorioſiſſimi* Imago, *Illa quâ magis* ad Dei ſimilitudinem *quam quà* Rex *aut* Homo *accedit.*

A *prode-*

prodeat verò eo colore peregrino, quo facta omnibus conſpectior fiat publica. Ita enim Tu voluiſti, ut ſe Linguâ omnium communi Orbi *traderem, in quâ utinam fœliciorem Tibi operam navare licuiſſet, ut illam Nativam* Elegantiam, *illam* Vim *verborum &* Lumina, *illam admirabilem ſermonis* ſtructuram *exprimerem. Quod cùm fieri (fortaſſe nec à peritiſſimis) à me certe non poſſit, præſtat interim vt cum aliqua venuſtatis injuria magnam partem* Europæ *alloquatur, quàm intra paucos ſuæ Gentis clauſa apud cæteros omnes conticeſcat. Sunt enim hîc velut quædam* Dei Magnalia *quæ ſpargi expedit humano generi, & in* omnium linguis *exaudiri: Id pro mea facultate curavi, vt ſi non ſenſa Tanti Authoris* ornatè, *at* perſpicuè & fidè *traderem, imo*

nec

nec ab ipſa dictione & phraſi (*quantum Latini idiomatis ratio permittit*) *vel minimum recederem. Sacri enim* Codicis *Religioſum eſſe decet* Interpretem. *Et certè proximè ab illo* ſacro & adorando Codice (*qui in has comparationes non cadit*) *ſpero non me audacem futurum ſi dixero nullum inter cæteros mortalium, vel* Authore *vel* Argumento *illuſtriorem, vel, in quo viva magis* Pietas & *eximiè* Chriſtiana *ſpiratur.*

Habet verò ſanctitas Regia *neſcio quid ex fortunæ ſuæ Majeſtate ſublimius quiddam & auguſtius, & quæ* imperium *magis obtinet in mentes hominum, & reverentiâ majore excipitur: quare & his maximè inſtrumentis uſus eſt Deus qui illam partem ſacræ* paginæ *ad ſolennem Dei cultum pertinentem,* Pſalmos *ſcilicet,* & Hymnos, *cæteraque*

ejuſmodi perpetuis Eccleſiæ *vſibus inſervitura, tranſmitterent hominibus & Authoritatem quandam conciliarent. Quid quòd libentius etiam arripiunt homines ſic objectam & traditam pietatem. Quod &* Libro *huic evênit, & erit magis eventurum, quò iam multò diffuſior plures ſui capaces invenerit.*

Magnum erat profectò ſic meditari *ſic* ſcribere; *multo majus ſic* vivere, *ſic* mori: *vt ſit hæc penè nimia* dictu *pietas* exemplo *illius ſuperata. Scit hæc illa Orbis Pars miſerrima jam & contaminatiſſima. Vtinam hanc maturiùs intellexiſſent virtutem, quam jam ſerò laudant & admirantur amiſſam, nec illa opus fuiſſet dirâ fornace quâ tam eximia Regis pietas exploraretur, ex quâ nos tantùm* miſeri *facti ſumus, ille omnium* fæliciſſimus: *Cujus illa pars vitæ*

novissima

noviſſima & ærumnoſiſſima & ſupremus dies (in quo Hominibus & Angelis ſpectaculum factus *ſtetit animo excelſo & interrito, ſummum* Fidei, Conſtantiæ, Patientiæ *exemplar, ſuperior Malis ſuis, & tota ſimul congeſtâ inferni malitiâ) omnes omnium Triumphos & quicquid eſt humanæ Gloriæ ſuperavit. Nihil egiſtis O quot eſtis hominum! (ſed nolo Libro ſanctiſſimo quicquam tetrius præfari, nec quos ille inter preces nominat, maledicere) nihil (inquam) egiſtis hoc parricidio, niſi quod famam illius & immortalitatem cum æterno veſtro probro & ſcelere coniunxiſtis. Nemo unquam ab orbe condito tot veris omnium lachrymis, tot ſinceris laudibus celebratus eſt. Nulli unquam Principum in* ſecundis *agenti illos fictos plauſus vel Metus dedit, vel Adulatio vendidit, quàm*

hîc veriſſimos expreſſere Fuga, Carcer, Theatrum *& illa omnium funeſtiſſima* Securis , *quâ obſtupefecit Hoſtes moriens , & cæſus triumphavit.*

Tu interim (Rex *Auguſtiſſime) vera & viva Patris Effigies (cujus inter ſummas erat fœlicitates humanas & in adverſis ſolatium Te genuiſſe ; in quo ſuperſtite mori non poteſt) inflammeris maxime hoc mortis illius exemplo non tam in vindictæ cupidinem (in quem alii te extimulent, non* Ego *) quam in Heroicæ* Virtutis & Conſtantiæ *zelum: Hanc vero primum adeas (quam nulla vis tibi invito eripiet)* Hæreditariam Pietatem ; & *quo es in tuos omnes affectu maxime Philoſtorgo, hunc* librũ *eodem tecum Genitore ſatum amplectere ;* Dic ſapientiæ ſoror mea es, & prudentiam affinem voca ; *hanc tu con-*

ſule

ſule, hanc frequens meditare, hanc imbibe penitus & in Animam tuam transfunde. Vides in Te *omnium conjectos oculos, in* Te *omnium Bonorum ſpes ſitas, ex* Te *omnium vitas pendere, quas jamdiù multi tædio projeciſſent, niſi ut eſſent quas tibi impenderent. Magnum onus incumbit, magna urget procella, magna expectatio, Major omnium quam quæ unquam ſuperiùs,* Virtutum *neceſſitas: An ſit* Regnum *amplius in* Britannia *futurum, an* Religio, *an* Homines, *an* Deus, *ex tuâ Virtute, Tuâ Fortunâ dependet, Immo, ſola potius ex Deo* Fortuna: *cujus opem quo magis hîc neceſſariam agnoſcis, præſentaneam requiris, eò magis magiſque (quod jam facis) omni pietatis officio promerearis; & illa quæ in* Te *largè ſparſit* Bonitatis, *Pru-*dentiæ, Temperantiæ, Juſtitiæ,

&

& omnis Regiæ Virtutis *ſemina foveas, augeas, & in fructum matures, ut tibi Deus placatus & propitius quod detraxit P*atri *Tuo fœlicitatis humanæ,* Tibi *adjiciat, & omnes illius* ærumnas *conduplicatis in te* beneficiis *compenſet, & appelleris* Ille Reſtaurator, *quem te unicè optant omnes & ſperant futurum, & ardentiſſimis precibus expetit*

Majeſtatis Tuæ humillimus devotiſſimuſque ſubditus & ſacellanus

Jo: Earles.

SYLLABUS CAPITUM.

1. DE *indictione* Parlamenti *Mandato Regis*. *Pag.* 1.
2. *De morte Comitis* Straffordiæ. 5.
3. *De ingreſſu Regis in* Conſeſſum Inferiorem. 11.
4. *De Inſolentia* Tumultuum. 15.
5. *De lege* Triennalis *Parliamenti, & continuatione illius poſtea durante utriuſque Domus placito.* 23
6 *De receſſu Regis à* Weſtmonaſterio. 31
7. *De* Reginæ *diſceſſu, & extra* Angliam *abſentia.* 38
8. *De Excluſione Regis ad* Hullam

lam *urbem*, *&* Hothamiorum *fatis*. 43

9. *De Exercitibus conſcriptis*, *&* *contra* Regem *levatis*. 49

10. *De Regio Armorum Theſauro*, *Munimentis*, *Claſſe*, *&* Militia, *à Parlamento occupatis*. 62

11. *De* XIX. Propoſitionibus *cum primum Regi exhiberentur*, *& iis quæ deinceps*. 72

12. *De Rebellione* Hibernica. 84

13. *De* Scotis *in* Angliam *evocatis*, *& eorum Adventu*. 94

14. *De* Fœdere. 105

15. *De* Suſpicionibus *&* Probris *in Regem jactis*, *quo* Populum *in illum concitarent*. 118

16. *De Decreto Parlamentario contra* Liturgiam Anglicanam, *ſeu* Librum Precum Solennium. 136

17. *De controverſiis inter* Regem *& utramque Domum* Parlamenti *in* Diſciplina Eccleſiaſtica. 146
18. *De Tractatu* Vxbrigenſi, *& Conditionibus à* Rege *latis.* 165
19. *De vario* Belli *ſucceſſu*, Victoriis & Cladibus. 170
20. *De Reformationibus* Temporum. 180
21. *De Epiſtolis Regiis* interceptis, & evulgatis. 189
22. *Cum abiret Rex ab* Oxonio *& ſe ad* Scotos *reciperet.* 196
23. *Cum* Scoti *Regem A*nglis *traderent, & de Cuſtodiâ* Holmbejana. 200
24. *Cùm Regi ſui* Sacellani *interdicerentur.* 205
25. Meditationes *Pœnitentiales &* Vota *in Solitudine* Holmbejana. 217
26. *Cum Rex in* Holmbeja *interci-*

terciperetur , & *quæ inde diſtractiones in* Vtraque Domo, Exercitu & Vrbe *conſecutæ*. 222

27. *Ad Principem* Walliæ. 230

28. *Meditationes de Morte* , *poſtquam* Domus utraq; *denunciaſſet, nil amplius cum Rege* Tractandum, & *de Arctiori ejus Cuſtodia in Arce* Carisbrokiana. 238

ΕΙΚΩΝ ΒΑΣΙΛΙΚΗ.

I. *De indictione Parlamenti, ab ipſo Rege.*

PRoxima hæc Comitia indixi non aliorum magis ſuaſu, & rerum mearum neceſſitate, quàm meo proprio judicio, & ſponte adductus, ut qui ſemper exiſtimaverim Parlamenta ritè habita, tùm Coronæ meæ ſaluberrima, tùm in Populum gratiſſima. Et licet haud excidiſſet animo, quas ſcintillas ólim in his Conventibus nonnullorum intemperies, ſuſcitaverat, (quos propterea, ut eas reſtinguerem, per hos aliquot annos intermiſi) tamen cùm certo jam apud me ſtatuiſſem, æquis omnium & ſobriis deſideriis ſatisfacere, & ſi qua eſſent in Regno vel Eccleſia *publica Gravamina*, levare, ſperabam hoc candore animi mei, & illorum æquitate conſpirante, occurri poſſe omnibus incommodis, quæ ex errore noſtri mutuo, oriri potuiſſent. Quanquam enim illud ſubvererer, vix vitari etiamnum poſſe affectus quorundam &præjudicia,quæ rebus aliquanto officerent,tamen integrum meipſum cuſtodirę

certus haud dubitabam rationum pondere; quicquid in lance adverſa factioſum, deprimer e.

Permoleſtum erat ſane audire, quibus Partium ſtudiis & Populari Impetu *Deputatorum* Electiones agebantur, ſperans tamen gravitate & prudentiâ Optimæ Partis, temperari poſſe cæterorum fervorem, zelumque quanquam Boni animi, tamen promptum nimis ire præcipitem, reſtrictum fore & *præfinitum* iis limitibus, queis conſervandæ, & ſanandæ Reipublicæ utiliſſime inſerviret, nemini magis quam mihi *Conventus* erat iſte optabilis. Conſcius nempe integri cordis mei, affectuſque in populi bonum & juſta deſideria, propenſiſſimi, oblectabar hâc maximè fiduciâ firmam poſtea inter nos concordiam & nexum naſciturum.

Enimvero remotis ſuſpicionibus, è re mea erat maximè, & liberorum meorum, ut amorem & commoda populi mei omni modo procurare, & tueri contenderem. Quæ mihi unica videtur in hoc mundo reſtare felicitas, ad quam Iuſti Monarchæ adſpiret ambitio; in qua Honos ſcilicet Illius & Salus proximè à Deo conſiſtit. Nec difficulter admodum paſſurus eram, minui in quibuſdam *Prærogativam* meam, cùm tantillâ jacturâ ſubditorum affectibus penſata, nihil perderem.

Demereri quidem decreveram, non amicos meos ſolùm, ſed inimicos quoq;: ſuperatis eorum deſideriis qui factioſiſſimè in me animabantur,

bantur, modo æquum quid petere & moderatum ſimularent.

Iras vero & odia, quæ *Aſperitas* quorundam aut *Remiſsio*, in Civili & Eccleſiaſtica adminiſtratione, in Regimen noſtrum derivaverat, iis volui legibus expiare, & in futurum proviſionibus, quæ non ſolum ſecus admiſſa corrigerent, ſed imperfectiùs inſtituta, ſi quid mancum eſſet, ſupplerent. Nemini enim mortalium concedo, ut majori me zelo agatur ad ſtabiliendam Religionem, Veritatemque illius & Ordinem, & Vnitatem conſervandam, gnarus ſcilicet, nullas *Civilium Diſſenſionum* faces pernicioſius jactâri, quam quæ privatis Factionibus Religionem prætexunt.

Conſtitueram vero, quæ plenâ & liberâ conſultatione in Parlamento adhibitâ, manifeſte explorarentur perperam fieri, reformare: iis vero omnibus, quorum Conſcientia mea & Ratio æquitati ſuffragabatur, rogationibus annuere. Atque utinam intrà hos me limites tenuiſſem, nec judicium meum paſſus fuiſſem in quibuſdam rebus, Importunitate aliorum potiùs, quam argumentis obrui. Haud prodidiſſem me hâc fiduciâ eorum inſidiis, quibus diu anſam in me quærentibus, vires tantum hactenùs, & occaſio ad nocendum defuerant.

Sed maturis jam factis peccatis noſtris, obſtandum non erat ampliùs Divinæ Iuſtitiæ, quo minus Gloriam illam ſuam ex adverſis noſtris repeteret, quâ illum in ſecundis fraudavimus.

Tu enim Domine ſatis clare demonſtraſti futuræ Reformationis conſilia, non ſemper Iuſtitiæ tuæ ſatisfacere, nec priorum delictorum ultionem obſtruere.

Oppreſſerunt ſpes noſtras peccata noſtra; Tu nos docuiſti, Domine, veniam à tua Miſericordia, ſperare, non ex noſtro emendandi Propoſito.

Cùm vindicaveris Gloriam tuam Iudiciis tuis, ſimulque oſtenderis, quo periculo tibi diſplicemus, placandi in poſterum fiduciâ: reſtituet ut ſperamus Miſericordia tua illas Benedictiones, quas tam pravè abutentibus abſtuliſti.

Quia non maturè ſatis piguit de peccatis noſtris, feciſti, ut jam pigeat de remediis immaturis.

Non tamen me pœnitet hunc Conventum indixiſſe, quia feci Domine recto corde, ad Gloriam tuam præcipuè & ſalutem populi attento.

Quæ conſecutæ ſunt calamitates in me & Regna mea, tuæ ſunt in nos Iracundiæ effectus juſtiſsimi, qui tamen demum diſpenſante ita tuâ miſericordiâ, proficere nobis poſſunt in futuram benedictionem, & meliores in fruendo nobis animos præſtare.

Interim Domine, quanquam plurimis nos ſolatiis deſtitueris, dones tamen mihi & populo meo beneficium afflictionum & caſtigationis tuæ, ut non virga tua minus quàm baculo confortemur: jam non plagæ hoſtiles erunt, ſed paterna verbera, cum illa affectus noſtros humilitate indueris, eum modum patientiæ, quæ pœnitentes filios deceat, ſimul dederis.

Nulla erit cauſa cur pœniteat malorum, quæ ex

hoc Parlamento fluxerunt, cum per illa me & populum meum ad ſynceram pœnitentiam perduxeris.

Potior infinitis modis, cum perpeſſionibus noſtris gratia tua, quam pax peccantibus.

O tu qui ſuprema es Bonitas & Sapientia, qui dominaris in omnia conſilia noſtra, dominare etiam in corda, & quo graviora jam patimur à tua Iuſtitia, eo meliores nos exhibeat tua miſericordia.

Fac Domine, ut quemadmodum ob peccata noſtra in venenum ceſſerunt Antidota, ita gratia tua tranſmutante, in Antidota jam cedat venenum. Et ſicut peccata pacis noſtræ, bellum hoc infælicíſsimum perſtruxerunt, ita bello hoc denuo, ad beatam pacem præparemur: Vt quanquam plenum moleſtiarum ſit mihi in terris regnum, fruar regno pacis in corde meo, & illo poſtea cæleſti, quod Chriſti ſanguine acquiſitum, Servatoris mei gratia, ſervo tuo peccatori imperties.

---

2. *De morte Comitis* Straffordiæ.

INtuebar in Comitem *Straffordiæ*, ut virum nobilem, ſummis negotiis parem, eumque qui metu potius Principem, quam pudore deterreret, ne illum Publicæ rei præficeret.

Hinc enim forſan naſci in illo poterat majora audendi fiducia; quâ deinde in magnos

errores, & plurimorum inimicitias laberetur. Quas haud dubiò affatim contraxit, dum in Celſo Orbe movens, claroq; & vivido fulgore, multos invidos halitus inſtar Solis excitaret, qui populari odio denſati, nubem quandam & tenebras vel clariſſimis meritis & innocentiæ offunderent.

Ego vero quanquam judicio meo omnia illius non probem, quæ Ille forſan actus potius neceſſitate temporum, & Populi illius Moribus, quàm ulla proprii ingenii aſperitate, & inſolentia admiſit, nunquam tamen exploratum habui tam grave illius Crimen, ut capitali ſupplicio mactandum malitiæ inimicorum exponerem.

Nunquam ſane tam difficili Temporum Statu conflictabar, quam in infœlicis illius Comitis diſcrimine, cum inter æſtus Conſcientiæ meæ fluctuans, & neceſſitatem (ut quidam ajebant) importunis populi mei flagitationibus auſcultandi, obtemperavi eorum conſilio, qui (in me animo ut opinor benevolo) ſuadebant, ut *tutiora* in præſens, quàm quæ *juſtiora* ſunt viſa, eligerem, atque adeo Externæ inter homines Paci, internam Conſcientiæ Rectitudinem coram Deo poſtponerem.

Tantum verò abeſt, ut vel inficias eam, vel diſſimulem nimiam illam Facilitatem, quâ me flecti paſſus ſum (nunquam enim integrè aſſentiebar) in mortem illius, quem nullâ lege convictum judicabam, ut nullum unquam conſcientiæ morſum ægriùs tulerim: quod

in argumentum pœnitentiæ meæ, ſæpe plurimo cum dolore, coram Deo & hominibus teſtatus ſum, ut vitium pravæ Fragilitatis, quâ me eum oſtendi, in quem plus metus hominum, quàm Dei timor pollebat: cujus Nomine & Loco in terris indignus eſt, qui actu tam inſignis injuſtitiæ, quem nulla poſſunt penſare vel Publica commoda, damnum aliquod Politicum declinat.

Miſera ſane tranſactio! accepta in conſcientias plaga, mederi malis Rei-publicæ, & excitatâ in pectore noſtro tempeſtate, æſtus populares, & querelas compeſcere.

Nec fefellit eventus Dei juſtitiam; & quæ conſecuta ſunt triſtiſſima ſatis mundo declarârunt, quam fallax eſt illud *ſatius unum interire vel innoxium, quam populi offenſam, vel ruinam accerſere.* Nihil enim mihi atrocius eveniſſet, ſi aſſertâ *Straffordii* Innocentia, & juſtiſſimis Conſcientiæ dictatis obtemperans legem illam *Damnatoriam* obfirmare recuſaſſem, quàm quæ poſtea minore cum ſolatio perpeſſus ſum Ipſe, & Populus meus, poſtquam ingratis quorundam obteſtationibus tam crudelem gratiam indulſiſſem. Quin & illud etiam obſervavi, eos qui Authores mihi erant ſuis conſiliis, ut ſententiam illam ratam facerem, nullam aliam mercedem Gratioſi Officii, quàm Direptiones, Vexationes, & omne genus contumelias ab illo ipſo, quem captabant populo retuliſſe: illo ſolum minimè omnium læſo qui id ſedulò

ei ſuadebat ne refragranti *conſcientiæ* aſſentirer. Deus illis & mihi turpem hanc præcipitationem tantæ rei ignoſcat.

Culpæ interim meæ propriæ, tam plenè conſcius, eò libentius Iudicia amplector, quæ mihi, viſum eſt Deo, infligere, tanquam medìa illius (uti ſpero) miſericordiâ ſanctificata, quò facilius de iſta (mihi enim proculdubiò ſic erat) iniquitate reſipiſcam, ſimulq; admonear, optimam in Politicis normam eſſe, Vnicam *Juſtitiam* cæteris omnibus commodis potiorem habere, & pacem *Conſcientiæ* ſalute *Regnorum*.

Nec quicquam magis deinceps firmavit animum meum adverſus aliorum violentias (qui iiſdem me artibus adorti ſunt) ne in Acta conſentirem *conſcientiæ* meæ adverſantia, quàm acres illæ puncturæ & ſtimuli, quæ ob rem *Straffordianam* uſque adhuc hærebant.

Neque hæc ideo, quòd animus fuiſſet illum poſtea negotiis adhibere, renitente præſertim Parlamento: illud unicè mihi optaſſem, nullatenus affinem fuiſſe culpæ illius mortis, de cujus innocentia nemini melius quàm mihi conſtabat.

Imo neque ipſa ea Crimina illi objecta, poſt longam & æquam diſceptationem ita perſpicua erant, ut Majori parti utriuſque Conſeſſus de illis quid certi liqueret (*Superiori* præcipue Magnatum) quorum vix tertia pars aderat, cùm in illam Legem diſcederent. Quin & in ipſa Domo *Inferiori* plurimi homines nobiles,

les, per ſe prompti ſatis *Straffordii* dignitatem, & potentiam minuere, nondum tamen de commiſſo ejus in Leges perſuaſi,capitalẽ in eum ſententiam ferre non audebant: qui mox ob ſuffragiorum ſuorum integritatem, affixis in publico & quaſi proſcriptis Nominibus vulgi odio & furori objiciebantur; creſcente ita in immenſum audaciã Vociferantium *Juſtitiam*, (id eſt, quicquid ipſis collibuiſſet) à me & illis faciendum, vt credibile ſit multos perterrefactos magis quam de æquitate ſententiæ perſuaſos condemnantium calculis acceſſiſſe.

Sed & *Scitum* illud *poſterius*, quo iſtius *præcedanei* caſſabatur Authoritas, ne deinceps in exemplum traheretur, ſatis mundo declarat, tactos fuiſſe aliquo ſenſu etiam hoſtes illius infenſiſſimos, conſcios ſcilicet quàm rigidè cum illo actum fuiſſet, & quod poſtea in ſeipſis experiri noluiſſent.

Hunc interim mærorem meum, & teneritudinem animi,quòd in unius hominis ſanguinem injuſtè latæ ſententiæ,eique ſub legis formula, & ſpecioſis coloribus adumbratæ, & vitandi *publici mali* neceſſitate expreſſæ, invitus tamen, utcunque, Deum teſtor, acquieverim, ſpero teſtimonio mihi fore, in poſteros coram Deo & hominibus, quàm abhorream à reatu & onere immenſi illius ſanguinis, in exitiali hoc bello profuſi, (quem imponunt mihi nonnulli,ut ſeipſos liberent) qui multo minùs extimeſcam meam vitam perdere, quam vel uni cuipiam perinjuriam adimere.

Tu vero Domine infinitæ miſericordiæ, ignoſce mihi hoc crimen pravæ Obſequentiæ, quod me gravius premit, quam quenquam alium, cum nec minimam invidiæ contra illum, aut Malitiæ tentationem habuerim, & quo eram loco conſtitutus, eo uſque ſervare debuerim, ut conſenſum meum ſaltem in perniciem illius denegaſſem.

Iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & exaltabit lingua mea juſtitiam tuam.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: vidiſti enim contradictionem intra cor meum & manum.

Ne tamen projicias me à facie tua: Aſperges me ſanguine Redemptoris mei, & mundabor! lavabis me pretioſâ hac effuſione, & ſuper nivem dealbabor.

Fac ut diſcam Iuſtitiam è Iudiciis tuis meamque in tua Iuſtitia fragilitatem agnoſcam: dum auſcultabam ſuadentibus, unius ſanguine fuſo, futuris malis occurrere, tu mihi & Regnis meis propter hoc & alia peccata, magnas, diuturnas, graves ærumnas inflixiſti.

Fac ut Iuſtitiam, quæ voluntas tua eſt, anteponam omnibus adverſis clamoribus queis iniqua hominis voluntas revelatur. Satis eſt, ſemel me ab illis expugnâtum, ut tibi diſplicendo iis placerem. O nunquam amplius permittas, me quâcunque ratione Politicâ adverſari rationi conſcientiæ meæ, quod eſt atrociter peccare contra Te Deum Rationis, & conſcientiarum noſtrarum Iudicem.

Quantiſcunque tibi (Domine) aliis rebus me privare

privare placuerit, redde mihi lætitiam ſalutaris tui & me ſpiritu principali tuo ſuſtineas, qui voluntatem meam ſubjicit nemini, niſi luci illi Rationis Iuſtitiæ, Religionis, quæ lucet in corde meo. Ecce enim veritatem dilexiſti in intimis, & in externis expreſſionibus Integritatem.

Exaudi Domine vocem Filii tui, & ſervatoris mei ſanguinis, loquentis meliora: Sic Auditui meo & populi dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.

---

3. *De ingreſſu Regis in* Conſeſſum Inferiorē.

ADiiſſe me Domum Inferiorem, ut *Quinque Membra Ordinis* illius in jus poſtularem, illud erat quod odiosè exagitabant adverſarii mei, & acerbiſſimis calumniis inſectabantur.

Verum eſt, eos qui nullarum partium erant, ſuſpicionibus, & metu haud leviter perculſos, imo plurimos etiam Meorum hoc facto offenſos, quaſi impetu magis, quam ratione ſuſcepto, nec eâ prudentiâ gubernato, quæ in tam lubrico tempore neceſſaria fuiſsêt.

At ignorabant Hi juſtas cauſas meas, & argumenta perſpicua, quibus me tam inſtructum arbitrabar, ut nihil ad criminis evidentiam

tiam cujus illos accuſabam, præter æquum & liberum forum requirerem.

Nullâ hîc irritabar offenſione, nec vindictæ appetitu contra ipſos privatim niſi in quantum me certo deprehendiſſe exiſtimarem quàm nefaria *Conſilia* injiſſent, & quàm illicitis *Fœderibus* ad turbanda mihi Regna ſe obſtrinxiſſent: quorum omnium ut fidem facerem, minimum abfuit ne Chirographa eorum producerem, qui tumultus ſequentes excitaſſent.

Secus viſum eſt Providentiæ. Non tamen deerant argumenta efficacia ad excitandas ſuſpiciones in Principis animo, qui non ſtupidè vecors omnem curam publicæ tranquillitatis abjecerat: cui ut conſulerem, poſtulando ut in *quinque* vel *ſex* homines æquo & legitimo judicio inquireretur, (quod Deum teſtor, unicus mihi finis erat) quid inde pejus eveniſſet ſi obtinuiſſem quod volui, quàm, ut vel illis ſontibus deprehenſis, aſſerta eſſet cauſa mea, & Regni mei; vel patefactâ ipſorum innocentiâ, ſuſpiciones meæ omnes abſtergerentur, quas, ut nullâ malitiâ ortas, ita Ratio non permiſit ſuffocari.

In quas flammas odiorum hæc ſcintilla (quam omni modo extinguere conabar) brevi tempore eruperit, nimis notum mundo eſt. Quod verè nonnulli calumniabantur, quaſi per vim graſſari in *Domum Inferiorem*, & *Privilegia* invadere deſtinaſſem, erat omnium falſiſſimum; cùm Deum teſtor, nec in mentem tale quicquam veniſſet, nec qui mecum

tunc

tùnc erant, ulla *facti* vel *dicti* mei ſignificatione quid ejuſmodi colligere potuiſſent.

Viſos eſſe in comitatu meo aliquot Nobiles, ut haud inſolens erat Majeſtati Regiæ, & in turbidis temporibus, præſidium, ita nec numero ęquabant ordinariam Stipatorum cohortem, ſi tumultus accidiſſet, longè impares futuri diſcrimini. Neque erant illi magis adventu meo perterriti, quàm ipſe parum ſecurus ab eorum petulantiis, ſi nullos mecum adduxiſſem, qui reverentiam mei aliquam imprimerent. Imbuebantur enim tunc homines iis de me ſiniſtris opinionibus, quas poſtea omni factorum verborumque acerbitate declarârunt.

Omnino ſic ſe res habet. Iſtos homines, & eorum ſequaces ſuſpiciebat vulgus attonitum tanquam Legum & Immunitatum ſuarum *Patronos* me longè potiores, atque adeo digniores, quos ſuo invicem patrocinio propugnarent. Deo illos relinquo & ipſorum conſcientiis, ad quæ ſevera Tribunalia (ſi quid tale in me machinati fuerint) nullus erit ſuffugii locus, nec præſenti impunitate, aut popularibus vindiciis liberari.

Ad hæc interim, obſtructâ humanâ Juſtitiâ, una homini Chriſtiano provocatio eſt, arrham ſcilicet & præludium inevitabilis illius judicii quod diſtrictè in examen revocabit quę hîc perperam vel parùm deciſa.

Id ſatagebam, ſi Deo viſum fuiſſet, ut obviam iretur iis motibus, quos ex improbâ quorundam

rundam Sedulitate niſi mature coerceretur neceſſario ſecuturos prævidebam, quod & poſtea evenit cum multorum Millium (dolens dico) pernicie.

• Vt vero vim aliquam facerem libertati Ordinum, vel eorum *Iuſtam Authoritatem* quoquo modo infirmarem, nulla unquam me ſubiit cogitatio, nec ſanè opus eſſe rebar tam aſperis auxiliis, ſtante à me *Ratione* & *Iuſtitia*: ad quæ potius extrema quam deventum fuiſſet, omnem pati repulſam æquo animo decreveram.

Tu vero Domine teſtis mihi es in Cœlis, & in corde meo, ſi quam violentiam, aut oppreſſionem adverſus innocentes cogitaverim, vel ſi iniquitas in manibus meis.

Tunc perſequatur inimicus animam meam, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.

Tu qui non juxta intuitum hominis judicas, ſed ultra omnes populares apparentias perſpicax, corda Scrutaris ac uris renes, illuminans abſcondita tenebrarum, liberè agas.

Ne mihi meæ afflictiones, (quod prudentes & pii nunquam facient) imputentur mihi in argumentum peccati hac in re: haud magis quam eorum impunitas in teſtimonium Innocentiæ apud bonos valebit. Sed ignoſce quòd malè fecerint, etiamſi in hoc mundo fuerit illis impunè.

Protege ſervuum tuum ab occultis conſpirationibus, & aperta violentia ſanguinariorum, &

per-

perverſorum hominum, ſecundum ſimplicitatem cordis & innocentiam manuum hac in re.

Iudica Domine cauſam meam, & ſuſtine Iudicium meum; tu qui ſedes ſuper Thronum, qui judicas juſtitiam, ut ſervus tuus lætetur ſemper in ſalutari tuo.

---

4. *De Inſolentia* Tumultuum.

NIhil unquam exiſtimabam (peccatis noſtris exceptis) certum magis præſagium earum quæ inſecutæ ſunt calamitatum, quàm *Tumultus* illos *Londinenſes*, & *Weſtmonaſterienſes*, ſtatim à primò fere Parlamenti Conventu auſpicantes, qui non ut æſtus quidam, & procellæ maris (quibus ſuus tamen terror non deeſt) ſed velut *Terræ motus*, (quo nil extat horribilius) fundamenta ipſa convellere, & ſubruere minabantur.

Quemadmodum vero in coercendis his Maris furoribus clariſſimè ſe demonſtrat Divina Potentia, ita non minus manifeſtat ſe Deus in compeſcendo populo, quem cum inſano Confluxu & clamoribus, omnes Legum fines & authoritatis repagula tranſilire, permiſerit, nullum certius indicium

dicium eſt, Deum vehementer eſſe toti Genti inſenſum.

Eo vero inſolentiæ creverunt illi noſtri *Tumultus* ut nec ipſi utriuſque Ordinis Conſeſſus *Libertati* vel *Honori* parcerent, nulla omnino reverentia deterriti, ne illos minis, & probris inſectarentur, pulſatis etiam quibuſdam, & ferociter perculſis, prout illis plus minuſve grati erant. Neque hîc ſtetit eorum furor; ſed ad Me uſque perrexit & Aulam meam agreſti quadam audacia, dictiſque & factis contumelioſiſſimis.

Neque brevis hic Paroxyſmus, aut conquaſſatio ſtatim deſitura; ſed quotidiana planè febris, auctis indies in majus fervoribus & qui mitigari jam amplius nec remitti poterant.

Primum ergo Præſidium implorabant adverſus illos *Terrores*, quos ipſi ſibi & aliis fecerant: nihil enim erat revera quod prudentes &cordatos viros magis *terrebat*, quam illa infimæ & ruſticæ plebis tumultuaria coactio, quæ hanc ab illis diſciplinam hauſerat, ut comitiis primo ſupplicarent, deinde illa ipſa protegerent, mox etiam & præſcriberent, poſtremò imperitarent, & dominarentur.

Per hos ſcilicet Tumultus, omnes Parlamenti obices (id eſt omnis ſuffragandi libertas, candidèque & æquanimiter diſceptandi ratio) unâ operâ tollendi. Hi Domum utramque expurgare, & *putrida* (ut vocabant) *Membra* ejicere. Hi præfractas conſcientias, quæ expedi-

pedire ſe liberè volebant, perdomare penitus & ſubigere: hi omnes Factiones, ſeditiones Schiſmata, & quicquid adverſus Eccleſiaſticam aut civilem Politiam rogabatur, eò uſque propugnare, dum prævaleret: denique quiſquis animo volvebat perniciem Eccleſiæ & Reipublicæ; obſtetricari hi erant paratiſſimi; quorum impetus & veſana præcipitatio, nec maturitatem *conſiliorum* expectabat, nec *actiones* fætandi tempora, nec eum *ordinem* gravitatem, *deliberationem*, quæ Parlamentum maximè decebat; ſed barbara quadam immanitate, quaſi rupto utero, abortiva quæcunque *Decreta* qualia Ducibus eorum placuiſſent, exſcindere omninò feſtinabat.

Tam portentoſa certè, & deteſtanda omnia, ut vel ſobrium quemvis hominem puderet vehementer, pigeretque, cnm his non tantùm veniam dari, ſed inſigniter applaudi cerneret, adhortantibus nonnullis, & in pejus inſtigatibus.

Herclè careret potius Vir Bonns illo quod tantopere expètebat *Bono publico* quàm tam improbis mediis procuratum vellet. Sed inter Dei præſcriptum & impotentes hominum affectus rara admodum concordia eſt. Gaudent ſimilibus ſui inſtrumentis violenta conſilia: & qui ad privatos ſuos *fines* intentiores ſunt, difficulter ſe circumſcribunt Dei *mediis*. Ingeret ſemper aliquid *Violentia*, quantumvis *Ratione* repugnante.

Qui autem fuerint *Demagogi* iſti, & Tur-

barum

barum Patroni, qui accerſebant ultro hos homines, & blanditiis ſuis ſtimulabant, denique gubernabant eorum, & moderabantur clamores, Plurimi ſunt adhuc in vivis nimis conſcii, quàm ut diſſimulent. Deus ſuo tempore patefaciet, quàm in idoneahec Media fuerint ad ſuum finem aſſequendum.

Verùm, ut haud quaqnam mirandum eſt, iratum Mare furere, cum vehementibus ventis agitatur; ita nec vulgus etiam inſoleſcere ab ejuſmodi hominibus inflammatum, qui exiſtimatione aliqua *ingenii* & *pietatis* præcipuè commendantur.

Iam quod maximè formidabilem fecit hanc ferociam, id erat, quod cum plurimi de hoc graviter conqueſti eſſent, Nonnulli ex ipſorum ordine, me etiam per Internuncios fréquenter expoſtulante, nil remedii efficacis obtineri potuiſſet, reprimendo huic malo idoneum, quod jam paſſim in omnes ſpargi & latiſſimè dominari videbatur.

Is erat ſtupor quorundam, ut nil inde incommodi metuerent. Ea aliorum petulantia, ut virorum ſe multo præſtantiorum contumeliis & injuriis gauderent, ſuam gnari Securitatem in vulgi palpo conſtare, ita ſenſum omnem amiſerant non meæ ſolum, ſed & Suæ Honeſtatis ſimul & Incolumitatis, unde nunquam impetrari potuit vel unum ab illis *Edictum*, quo vel Examini ſubjicerentur nedum ſupplicio, aut nota ulla afficerentur Turbines

iſti

iſti & incendiarii qui păſſim undique volitabant *Pollentiam ſuam jactantes* , & turbam quoties uſus fuit, colligebant. Quos interim hæc facientes, nonnulli à quibus plus ſapientiæ expectaſſes ut amicos ſuos agnoſcebant zelum & induſtriam collaudantes eorum ſcilicet, qui Diabolo ſimillimi *circumibant quærentes quem potiſſimum* fallerent & *devorarent*.

Fateor me cum tam pertinacem eorum obſurdeſcentiam comperiſſem, ut nec *Epiſcoporum* Declaratio qui primas illas Inſolentias & vim experti erant, nec quod ab aliis Proceribus & viris Honoratis, tum à Me ipſo remonſtratum fuerat, haud quicquam proficeret ad ſedandos hos Tumultus, & incolumitatem præſtandam non libertati ſolum Parlamentariæ, ſed & Perſonis noſtris propriis in ipſis urbis platæis: haud jam amplius exiſtimaſſe obligari me ultra per præſentiam meam Audaciam hanc inſignem, & Contemptus irritare: ſperans brevi mei ſubductione ſpatium fore aliquod quo reciprocari poſſet hic æſtus, & in ſanam mentem cæteri, ac modeſtiam ſuam redirent.

Tribuent alii fortaſſe Puſillanimitati ut quis vulgi minis perterritus Publicam Stationem deſereret. At mihi contra videtur non veræ fortitudinis, ſed amentis cujuſdam audaciæ, ultro ſe mari irruenti cum certiſſimo periculo objicere: quin dandum potius ſpacium dum hæc ferocia ſubſidat & ſi quid ruptum fuerit opportune reſtituatur. Sane vir verè

fortis

fortis & magni animi mallet iniquis licet conditionibus, numeroque & loco inferior, in aperto campo & recto more decpugnare, quam inter turbam inconditam fœdè colluctari.

Suſpicio erat quibuſdam, non paucis etiam affirmantibus me, cum ab Albâ Aulâ diſcederē Bellum ſtatim meditatum, cum non alia ratione (Deum teſtor) diſceſſerim quàm ut perſonam meam & conſcientiam à violentia incolumem præſtarem. Deus novit me tunc temporis nec de Bello vel minimum cogitaſſe. Nec credibile eſt cuiquam ſano homini, me, ſi tale conſilium inijſſem, tot me Actis ſuperioribus, & quibuſdam etiam poſtea infirmaturum; cum revera, ut omni modo declinarem Bellum, mihi ſoli in plurimis denegavi. Conſtat nullos tunc fuiſſe mihi exercitus ad quos confugerem, nec qui auxilium aut ultionem ſponderent.

Quis jam crimini mihi vertat & aliis, ſi ab aſſiduis tumultuantium inſultibus maturè nos ſubduceremus, incerti, an eos furor & ira eò uſque incenderent, ut quos unguls jam conſtrictos quaſi ludibundi tenebant, non diſcerperent penitus & devorarent. Numquam herclè abijſſem à Domo mea, modò vel æquis conditionibus manere licuiſſet. Multa pati decreveram & quidem multa pertuleram. haud tamen officii mei arbitrabar Majeſtatem Loci, & Perſonæ meæ, tum Vxoris & Liberorum incolumitatem petulantiæ eorum

pro-

proſtituere, qui ferociſſimè inſultare prompti ſunt, cum objecta injuriarum capacia, & idoneum tempus nanſciſcantur.

Hos verò omnes *Tumultus* (quorum, complurés jam homines Deo rationem reddiderunt, cæteris adhuc viventibus hæret crimen) tempus jam, & communis multorum reatus ita planè ſepelivit, ut jam amplius nolim defodere. Credo tamen ſummum illum *Seditionum* & civilium Turbarum Vindicem, illis olim hominibus, & illi *Vrbi* in pænarum ſuarum ſpeculo crimina ſua demonſtraturum. Fallor, an non eodem quo deliquerint exemplo, ſint aliquando plectendi.

Equidem ſi in iſto *Conventu* (prout prima illius Electio, & Conſtitutio ſpondebat) pleno & integro Numero conſeſſum fuiſſet, membris utriuſque *Ordinis* libertate ſuffragandi permiſſa (quod Honeſtas Ratio & Religio poſtulabat) haud dubitandum eſt, quin res ita commodè tranſigi potuiſſent ut ſpei & voto Bonorum omnium uberrimè fuiſſet ſatisfactum. Quod enim ad me attinet, ſtatueram *Rationi* in omnibus auſcultare, & quantum capere potuiſſem, obtemperare: ſed velut ſues in hortis ordinatim conſitis, ita in Publicis Conſiliis, ſordidæ *Turbæ* colluvies ſuſque deque miſcent, & ſpargunt omnia, & ſtercoribus ſuis collutulant.

Subit animum aliquando hæc cogitatio; occurri forſan potuiſſe quæ inſecuta ſunt malis, ſi in alium quempiam locum *Angliæ* quod

oppor-

opportunè ſatis poteram, Parlamentum tranſtuliſſem, gratum ſcilicet futurum in quocunque loco, nullibi verò, tot diverſis & pravis Humoribus obnoxium. Sed hæc omnia Deo relinquenda ſunt, qui Sapientiæ ſuæ Gloriam, miſerias & ſtultitias noſtras detegendo illuſtrat.

Tu autem Domine refugium mihi & ſuſceptor meus ad te confugiam, & in tuto fuero, tu compeſcis ſtrepitum marium, & fremitum populorum.

Flumina Domine intraverunt, torrentes penè abſorbuiſſent animam meam.

Intueor peccata mea, & peccata populi mei, (tumultus animarum noſtrarum contra Te Domine (ut juſtam Popularis *hujus* Diluvii *cauſam*, *quod ita omnes fidei, modeſtiæ, Legum, Iuſtitiæ, Religionis ripas ſuperare & tranſilire permiſiſti:*

Tu vero qui congregas aquas in locum unum, ut arida appareant, & reverti coëgiſti aquas quæ terram obruebant verbo potentiæ tuæ. Compeſce hanc vulgi Belluam & Eripe me à ferocia, & contradictionibus populi.

Redde nobis precamur libertatem conſiliorum, & Parlamentorum fac ut nullo affectu occæcati lucem Rationis, & Religionis intueamur, eamque ordine illo & gravitate ſequamur quæ homines decet & Chriſtianos, ſic nomen tuum laudabimus qui es Deus ordinis & conſilii.

Quod aut nolit homo, aut nequit reprimere omnipotens tua Iuſtitia & poteſt, & velit.

Des Domine his qui adhuc in vivis ſunt, quos

tu

tu conſcios noſti excitandi, vel non coërcendi hos motus, tempeſtivum dolorem & ſenſum ingentis peccati ſui: Pudor illos in hac vita plectat, non in futurâ ſupplicia.

Præfinias & coerceas impotentiam noſtrorum affectuum ratione, errores veritate, ſeditiones Legibus ritè adminiſtratis, ſchiſmata denique Charitate, ut fiamus ſicut tua Ieruſalem Civitas in ſeipſa unita.

Hæc concedas Domine in bono tempore tuo propter Ieſum Chriſtum, AMEN.

---

5. *De lege* Triennalis *Parlamenti, & continuatione illius poſtea durante utriuſque Domus placito.*

VT jam palam Orbi innoteſcerent illa prima mea Conſilia, quàm paratus eſſem omnia contribuere, quæ *Iuſtitia, Ratio, Honor, Conſcientia* permiſêre, ut ad fælicem exitum perduceretur Parlamentum (in quo nil aliud ſpectabam, quàm Regnorum meorum Bonum commune) legem illam de Trien-

Triennalibus Parlamentis confirmavi libens, quod ut lene & opportunum Pharmacum (ſi rectè adhibitum) præveniret *malignos* humores, ne præpollerent nimium aut invaleſcerent, modò remedium non eſſet morbi cauſa, nullo poſtea remedio ſanabilis.

Arbitrabar huic *Conventui* ſatis jam negotiorum ſupereſſe, quæ Triennium hoc integrum (interpoſitis receſſibus) occuparet. Nunquam vero id credidi futurum, ut hinc arriperent occaſionem nonnulli plus ſibi inſuper laboris imponendi, infecta ea denuo faciendo, quæ tam benè jam acta repererant. Ea improba eſt multorum ſedulitas, creant ſibi potius quàm deſit negotium, & malè agere inſtituunt, quàm nil agant omnino.

Quum anguſta nimis videretur illa prima mea Conceſſio, quàm ut *Timori* quorundam caveret, & negotia Publica perficeret, etiam amplius mihi perſuaderi paſſus ſum legem illam ſancire *Illimitati* Conſeſſus, durante ſcilicet Domorum placito, id quod aliis ſonabat, *perpetuum Parlamentum.* Hoc ſupremæ meæ fiduciæ teſtimonio, ſperabam in æternùm excludere, & quaſi peſſulo obducto eliminare omnes retro *Suſpiciones*, & futuros *Errores*: Certe haudquaquam animus erat, meipſum foras ejicere, quam mihi mercedem nonnulli hujus gratiæ retulerunt.

Fateor huic ſimile nunquam factum à Deceſſoribus meis: æquo tamen interpreti nihil aliud ſignificat, quàm quâ confidentiâ verſa-

tus ſum inter ſubditos meos ſperans haudquaquam malè uſuros tantâ gratiâ, quâ, ut oſtenderem quantum illis confiderem, me ipſum in tanto apice prærogativæ reſtrinxeram.

Boni certe ſubditi æquum haud omninò duxiſſent, ut deterior eſſet ideo mea conditio, quia eorum reddideram meliorem: neque reverà eveniſſet, ſi didiciſſent nonnulli æquè uti moderate occaſionibus benè vel malè agendi, ac importune expetere.

A *continuatione* hujus *Parlamenti* exiſtimabam contineri ſic melius poſſe, & quaſi juſtis ſuis modis temperari Rempublicam, vim ſuam legibus, & vigorem reddi, quod, ut accuratiſſimè fieret, neminis magis quàm mei intererat, cum per eas non minus Jura mea Regia, quàm Civium cujuſvis conſervantur. Ultrà quàm leges mihi tribuunt nil poſtulo, citrà, neminem credo vel infimæ ſortis ſubditorum debere accipere.

Sparſa fama à nonnullis & credita, pœnituiſſe me ſtatim hujus Conceſſionis, & perſuadere mihi alii volebant ſatis cauſæ fuiſſe cur id facerem. At neque ſubito nec facile in eam ſuſpicionem adducebar, ut à viris ſpectatæ famæ eam unquam ingratitudinem metuerem, ut quo plura iis donaveram, eò minus mihi cum illis frui liceret, qui vel largiſſimis conceſſionibus me haud quicquam imminutum credebam, dùm ſic populi mei amorem redimere, & confirmare potuiſſem.

De quo neque adhuc deſpero, poſſe me Dei

Bonitatem incremento illius benedicere, cùm majori otio dato minus loci ſit futurum præjudiciis, cum jam ſenſu integro & nullis affectibus obſcurato intueantur in illa noſtra non Regia magis indulta, quam ab amiciſſimo animo profecta, quæ in hunc tantum finem conceſſeram, ut *perpetuam* illis hanc facerem fœlicitatem, qui in eo jàm ſolum miſeri ſunt, quod oblatis bonis frui ambitione quorundam prohibentur.

Vnde nec dubito futurum aliquando) cùm ita Deo viſum fuerit) ut fideles & depurati affectus populi mei eos obſequii & amoris fructus mihi vel ſaltem poſteris meis retribuere invicem contendant, ut hinc abunde compenſetur, quantum illis confiſus, quanta pro illis paſſus fuerim, quæ (.Deum Teſtem appello) nec pauca nec exigua, nec brevi tempore fuerunt: ex hac orta fiducia præcipuè, quod exiſtimarem non poſſe me hominibus profeſſione ſua ſubditis meis, cæteroquin ſingularem quandam Religionem, & auſteram pietatem profeſſis, vel nimia Indulgere, vel nimis parum diffidere.

Summa verò omnium Injuria eſt, quâ me alii odiosè onerant, quaſi Ipſe perversâ quadam voluntate, in me & populum meum Calamitates has omnes accerſiviſſem, dum (quod illi magna fiduciâ ſed, Deum teſtor, falsò aſſeverant) adverſus hoc Comitiorum per me factum *ſtabilimentum* fremens & indignabundus, vi poſteà & profeſsâ hoſtilitate conabar

inſe-

infectum reddere quod jam Regio aſſenſu *confirmaveram.* Equidem inconſiderati valde animi, vel extremæ potius amentiæ fuiſſet ligare manus meas iis ipſis Rogantibus, in quos mox eram gladium diſtricturus. Novit Deus Me, licet non ſine ſenſu hujus injuriæ fuerim, haud tamen tam atrocem concepiſſe, ut *bello* omnino perſequendam ducerem; Nec enim ſtatim impellebar, (quod poſtea evenit) alios mihi porro injurias inferre, cùm Iſti candidè collatam hanc Gratiam, haud eodem candore adminiſtrarent. Tumultus revera qui tunc vigebant, omnia Gratiæ Indulta violare & in laſciviam corrumpere minabantur. Arbitrabar tamen nec ſine argumento ipſos proprios Eorum *terrores* qui pravis ſuis & vere Dæmoniacis artibus Turbulentos hos Spiritus excitârant, eoſdem denuò abigere, & demergere penitus hortaturos.

Imo ſi acriori aliquo ſenſu tactus fuiſſem Injuriarum quæ plurimæ mihi & meis inferebantur, num eram tum temporis ulciſcendo idoneus hoſtili præſertim & *Bellica* ratione eos, quos minoris plebeculæ affectu tam firme munitos noveram, ùt nihil hoſtibus gratius facere potuiſſem, nec in meipſum damnoſius, quàm, ſi indignâ Principe levitate illos Armis invadere, & diſcutere tentaſſem, quos nuper Actu Parlamentario tam ſolenni *ſtabiliveram*?

Deus ſcit, me nil adeo in votis habuiſſe, quam ut ego & ſubditi mei tot mearum Conceſſio-

ceſſionum fructibus tranquillè gauderemus.

Certe improbum facinus fuiſſet, peri ulique juxta & infamiæ plenum, enſe ſtatim exſcindere quod ita dudum plantaveram; nec in ſubditorum meorum magis, quam meum gaudium: niſi timuiſſent nonnulli, ubi nulla erat cauſa metus, qui ſecuri eſſe non poterant niſi aliorum terrore.

Mihi verò (Deo Gratias) ita perſpecta & explorata eſt ſynceritas & integritas Cordis mei in Lege illa ſancienda, quæ ſuperiorum Temporum vota ſuperabat; ut licet minus apud homines cautus videar, & à Politicâ prudentiâ inſtructus, tamen nullis coram Deo opus habeo vel occultis diſtinctionibus, vel arguto, quo evadam, Sophiſmate. Porro nulla erat in Lege illâ ferendâ Reſervatio in Anima mea, nulla deinceps facti pœnitenria, dum id tandem perſpicerem, me, permiſſo nonnullis in *ſummum Templi Pinnaculum* aſcenſu, tentationem etiam iis ſubjeciſſe ut me illinc darent præcipitem.

Id enim ſecum cogitabant, mecum una *Monarchiam* in præceps actam, niſi miraculum obſtaret, fruſtillatim ſpargendam. Deus illis pro miſericordia ſua ignoſcat, tandemque illis notum faciat, etiam tot Mundi Regna quot Diabolus oſtendit Salvatori Noſtro, & eorum Gloriam (ſi ſimul omnibus frui licuiſſet) tanti non eſſe, ut flagitioſâ ingratitudine, & infami aliquo facinore acquirantur: unde Animæ periculum creatur omnibus Regnis, & Mundis potiori.

Deus

Deus verò me hactenus cuſtodivit, fecitque ut intelligam haud mirum eſſe oportere, ſi homines Affectuum ſuorum Impotentiæ relicti, vel multa ipſi mala faciant vel aliorum Bonitate abutantur, cujus ingrata Nauſea, Morbus omnium deploratiſſimus & Inſanabilis.

Haud tamen propterea liquido jam poſſum affirmare, pœnituiſſe me hujus conſilii, cum in illud intuear non ut voluntatis meæ crimen ſed ut errorem Judicii in Charitatem impendio propenſi. Id tantum dolet, aliorum oculos improbos factos, quia mei boni erant.

Te Domine ſemper appello, cujus omnia explorans Juſtitia per humana quæcunque velamina, & fallaces cordium tenebras clarè penetrat.

Tu mihi cor dediſti ut hæc ſubditis meis concederem, jam corde præparato opus eſt, quo multa ab illis viciſſim tolerem.

Fiat voluntas tua, noſtræ quantumvis contraria, etiam tum cum ſperavimus & voluntati tuæ & eorum morem gerere, qui nil præter tuam jactabant.

Erudiat me Gratia tua æquè frui Sapienter fruſtrationibus his meis, ac ſi ſpes meas optimas & ſpecioſiſſima deſideria expleviſſes.

Dum aliorum timoribus mederi cogitabam, meos auxi, & illos demum ſedando meipſum turbavi.

Ita reddiderunt mihi malum pro Bono, & odium pro dilectione mea.

Sis mihi (Domine) Gubernator in tenebroſa hac nimis & ancipiti procella, in qua nec remeare ad Portum datur unde ſolverim, nec incolumem ut volui, & famâ integrâ ad aliium contendere.

Tu me facile tutum cuſtodies in amore & fiducia Populi mei, Tu me Salvum præſtabis inter odia injuſta, & ſuſpiciones multorum, quas eo hactenus invaleſcere in me permiſiſti ut maximas quas unquàm indulſi Gratias cum fiducia de illis ſummâ conjunctas, corrumpant omnes & in me abutantur.

Nullæ vero à me collata Gratiæ magis unquam in abutentium crimen cedent, quam illæ Tuæ in me Domine crebræ & ingentes, quibus me turpiter abuſum agnoſco.

Des mihi & illis (precor) eam pænitentiam qualem tu accepturus es, & eam Gratiam inſuper quâ non abutamur: Eâ ſaltem me bees (Domine) ut rectè utar aliorum injuriis, & per eorum in me delicta, meas rurſum in Te offenſiones cum dolore Reformante intuear.

Ita quanquam temporalibus in tuis beneficiis per aliorum quidem peccata, ſed propter mea deſtituar, fœlix tamen fruar miſericordiarum tuarum Solatiis, per quæ graviſſima perpeſſi in ſanctorum Gloriam aſſurgunt.

6. *De receſſu Regis à* Weſtmonaſterio.

QVàm invitus à *Weſtmonaſterio* me ſubduxerim, eorum eſto judicium quos commeatu & armamentis deſtitutos Tempeſtas unquam compulit in altum Mare; quod tamen potius faciendum, quàm ut oram legentes, littori, cum Naufragii periculo, alliidantur.

Perſtiti tamen uſque in *Alba Aula* dum pudore magis quàm metu pellerer, cùm eum barbarum furorem, & audaciam Tumultuantium cernerem, ut jam quidvis impudenter expoſcerent, nullâ mihi relictâ nec ipſis Parlamenti Membris, *Rationis* aut *Conſcientiæ*, libertate, quâ illis quicquam omnino negarent.

Vnde nec mihi ſoli hæc Injuria illata eſt, quanquam Mihi præcipue intoleranda; ferre enim utcunque poterant Proceres, cæterique Deputati, ſi libertate ſuffragandi ſibi permiſsâ, majori poſtea numero vincerentur.

Eorum vero omnium concordantia ſuffragia nulla Lex aut Ratio permittit, ut judicium

meum aſtringant, vel Aſſenſum includant, aut complectantur, cùm nullo modo hîc Mei partes agant vel Perſonam ſuſtineant: atque adeò haud amplius teneor ullis eorum ſuffragiis aſſentiri, quàm quatenus ipſa primò in Dei mandata, Juſta mea jura Regia, tum commune Populi Bonum conſenſiſſe perſpexerim. Vidi eos (quod inter multos ſolet) raro omnes in eâdem ſententia, & id crebrò etiam videre eſt, in Majori eorum Parte deteriorem pollere.

Satis jampridem demonſtraveram ſobriis & modeſtis hominibus, quam cupidè omnibus Satisfactum vellem, cùm tot eorum Rogatione Leges Sancirem, quibus & ſecuritati proſpiceretur, & votis omnium abundè Satisfieret, ni Hydropica quorundam appetentia quo largius biberet, eò largius ſitiret, quos nec ipſe Fons Regiæ Beneficentiæ ſaturare potuiſſet, obſtinatos illum penitùs exhaurire, vel barbarè obſtruere.

Certè haud amplius *Conſilium* appellari debet ubi non Rationibus perſuademur ut *Homines*, ſed vi quadam & terrore *pecudum more* adigimur, ad cuicunque rei aſſentiendum quæ à Turbarum Patronis excogitantur. Dignus eſt qui in æternum ſerviat nullo prorſus miſerante, qui id pati poteſt, ut Rationale ſuæ Animæ Imperium, Verborumque & Voluntatis Libertas, ita omnia ſimul mancipenrur.

Ego verò nec tanti *Regna* mea facio, ut illa velim Servare *Libertatis* diſpendio, quæ cum mihi ut *Homini* & *Chriſtiano* debetur, multo minus

minus *Regi* neganda eſt, qui nullius ſuperioris præter Dei dictata, ut conſenſum obligantia agnoſcam. Emori ſatius eſt ſub hoc Regno Animæ meæ, qua Deo ſolum ſubjicior, Ratione & Religione me dirigente, quàm inanem Regis Titulum uſurpantem conſtrictum me ita & captivum vivere, ut nec conſcientiæ nec Rationis uſus permittatur, quo quid probem, quid improbem, (prout Regem decet) declarem.

Abſit enim ut illud unquam credam, Majeſtatem Coronæ Angliæ ita obſtrictam teneri *Coronationis* ſuæ *Iuramento*, ut in quæcunque ſubditorum ſuorum in Parlamentis poſtulata, cœcâ quadam & brutâ verborum Formulâ, conſentire neceſſe habeat, quod tamen inferunt nonnulli, qui, dum hoc mihi *Negativæ vocis* jus, ut Regi, eripiunt, eâdem operâ impudenter me privant omni illa Rationis, & Conſcientiæ Bonæ Libertate, quâ Ipſi, & *Tota Angliæ Communitas* (quatenus influit in Publicum) gaudet, qui omnes ægrè admodum paterentur non licere in quacunque re contradicere, quam vel Ipſe ut Rex, vel mecum unâ *Domus Parium*, non jam amplius (ſi ſic fieret) *rogare* videremur, ſed *exigere*. Arbitror me in hoc ſatis fidem juramenti liberaſſe, cum ſecundum eas Leges regā, quas Populus juxta cum Proceribus, Me ipſo adſentiente comprobavit. Certe Conſcientiâ meâ non teneor Conſcientiæ meæ adverſari, quod proculdubio facerem, ſi, quibus Ratio, Juſtitia,

Honos, Religio, negandum jubet, Novis his Rogationibus annuerem.

Ita tamen ſibi diſtrictè cavent nonnulli, ne *Arbitrario* Regimini, id eſt alienæ voluntati ſine proprio conſenſu ſubjiciantur, ut haud interim attendant quanto probro & inſulſitate Regem ſuum eum ſolum eſſe velint, qui aliorum voluntati mancipetur, uni illi interdicto *Rationis* uſu, vel per ſe, vel per alium, exercendo.

Detur verò id (quæ nonnullorum ſuſpicio eſt,& malevola Calumnia) me, Errore,vel Opinione, vel Infirmitate actum, vel ipſa (ut vocant) Pervicaciâ, (quam non verum aliquod Judicium, ſed Perturbatio potius & vehemens præjudicium animo meo impreſſerat) à ſententiis eorum diſcordâſſe, haud tamen quiſquam aliter, quàm ut ſervilem Contumeliam acciperet, importunâ quadam vi, & barbaro impetu hanc qualemcunque Erroris ſui, & Paſſionum caliginem (Vmbram certè Rationis,& quæ hactenus ſufficere debet ſolidiore deſtitutis) ita penitus diſcuti & diſſipari. Coram Deo & Hominibus culpam haud meretur, qui rerum optimam Rationem perſpiciendi cupidus, ei demum optemperat quod ſibi maxime videtur *Rationi* conſentaneum: & ſi forte in errorem per inſcitiam prolabatur, excuſabit illum mentis Rectitudo. Nemo navis Rectorem incuſabit, quod cum Stellam Polarem non videat, ad eas ſaltem, quas videt, curſum dirigat. Mihi certe magno argumen-

gumento eſt laborare *Rationum* inopiâ, & Solidis Argumentis deſtitui, qui *Vim* iſtam Auxiliatricem ad propugnanda ſua Infirma conſilia, & Rogationes promovendas accerſunt. Profiteor in Veritate & Sinceritate cordis mei, me nulli unquam Rei recto more propoſitæ, libereq́ue & integrè in *Vtraque Domo* agitatæ, ulterius contradixiſſe, quam quo *Ratio* ſuadebat, & ſic poſſe à me fieri, & ſic oportere.

Nec mihi quicquam magis cordi fuit, quàm, ubi conſpirante meo ſimul cum eorum Judicio, ſalvâ poſſem Conſcientiâ illis aſſentiri; Imo in rebus plurimis, ubi, non contra militabat Abſoluta & moralis *Rationis* Neceſſitas, ſed de præſenti tantum Commodo meo & Honore agebatur, mihi potiùs quàm illis negandum cenſui; ea quæ Illi opinabantur tantum in populi Bonum *neceſſaria* iis ſemper antepónens, quæ mihi ſolùm *expedire* compereram.

Patiar enim forte in iis, (quorum me Dominum eſſe arbitror) privata ſcilicet Re mea, & *Perſonalibus Privilegiis* cedere: quod verò ad *Veritatem*, *Iuſtitiam*, *Iura Eccleſiæ* & *Coronæ* & *regnorum meorum Publicum* Bonum Spectat, quæ omnia, quantum in me eſt, tueri debeo, hic firmus ſum, & ſtabilis, & idem uſque perſtabo in nullius unquam hominis gratiam in ea conſenſurus, in quibus *Cor* meum, Linguam vel Manum redarguet, nec id coram Hominibus affirmaturus, quod in Conſcientia

mea coram Deo negavi, *Spineam* potius *Coronam* cum Servatore Meo geſtare malim, quam illam mihi debitam *Auream* in ejuſmodi *Plumbeam* commutare, cujus *vilis* & *ductilis* materia in quamvis facile formam *inflectatur*, nec *Diverſis* modò *Factionum*, ſed *Adverſis* ſibi invicem, & *pugnantibus placitis* obſequatur, cùm ſub obtentu *Rationis*, & *Publici commodi*, revera nil niſi *Privata Partium* Res agitur, quæque à ſtudiis iniquis, & Impotentia Affectuum profluxerunt.

Nil prorſus dignius novi Chriſtiano Principe, quàm ut id ſemper firmum habeat Conſcientiam ſuam Regnis anteponere.

Cuſtodi (Deus meus) famulum Tuum in hac Nativa, Rationali, & Religioſa libertate. Ita enim te velle credo, ut hanc tueamur: qui, licet juſte exigas ut Intellectus noſtros, & voluntates, Tuæ ſubmittamus, cujus ſapientia & Bonitas nec errare poteſt Ipſa, nec in errorem inducere, & carnali noſtræ Rationi eouſque negemus cùm de Sacris tuis Myſteriis & Mandatis agitur, ut ſimus his credere & parere potius, quam diſputare prompti, eum tamen à nobis exſpectas Cultum Rationalem, ut nec quicquam adverſum Conſcientias noſtras etiam Tui causâ, faciamus: quæ vero ab Hominibus expetuntur, ea omnia explorare præcepiſti ad Rationis & Legum Indicem (Civilis ſcilicet Iuſtitiæ Normam unicam) atque ita demum aſſenſum noſtram in quæ Iudicio probamus, profiteri.

Nôſti (Domine) quam illibenter locum illum deſerve-

ſtatum in quo Tu me collocâſti, & ad quem præſenti Regnorum neceſſitate, vocabar.

Tollit enim mihi Populus Meus, quanta mihi libenter negaſſem, eorũ quæ in arbitrio meo poſuiſti.

O ne unquam Ingrata Importunitate, & turbida ſpecie iniqua Flagitantium, prodar illi degeneri, & indignæ viro ſervituti, ut illos Conſenſu meo in iis corroborem, quæ Conſcientiâ meâ perſuadeor & tuæ Gloriæ, & ſubditorum Meorum commodo, tum, quod penitus Rationi & Iuſtitiæ debeo, adverſari.

Fac ut violenter patiar ſummas contumelias & quibus maximè me premunt injurias, quàm ut vel minimum peccatum adverſus Conſcientiam meam admittam.

Salvæ maneant Populi mei (quod ſanè poſſum) Iuſtæ libertates; dum id recto & debito more fiat animâ meâ nequaquam mancipatâ.

Quam mihi Regis Chriſtiani potentiam Gratia tuâ impertiſti, ne me unquam patiaris Aliorum Aſſenſibus & Conſiliis, quæ à Ratione, Iuſtitia, Religione alienæ prorſus videntur, Rationẽ meam ſubjicere.

Fac Tibi uſque, inſerviam in veritate & Integritate Cordis mei, licet his hominibus parũ placeam.

Quanquam ab illis penitus expulſus fuero, donec in Gratia Tua, quà coram Te integre poſſim ambulare.

Dirige me in via veritatis & Iuſtitiæ: has enim ſecutus ſum, me ad pacem olim Tecum, & fælicitatem perducturas, quanquam plurimas inter homines, ob has, moleſtias perferam. Hoc à Te peto Servatoris mei Gratia.

7. De

7. *De* Reginæ *diſceſſu*, *&* *extra* Angliam *abſentia*.

QVanquam diſceſſu illo *Vxoris* Meæ à Me & è Regnis meis, multam, meritamque moleſtiam ceperim, haud tamen ita crucior Illius abſentiâ, quam neceſſitatis illius Scandalo quæ Illam hinc abegit: coactam nempe fuiſſe à *ſubditis* meis, iiſque *Proteſtantium* Nomen gerentibus, ut ob ſuam Incolumitatem, excederet. Certe Primum hoc exemplum extitit *Proteſtantium ſubditorum* qui contra *Regem Proteſtantium* Arma ſumpſerunt. Id enim in *Anglia* non ſecus contemplor, quàm *Tragediæ* in Scotia inchotæ *Actum ſecundum*, cujus male extinctæ faces hìc in alteram Flammam eruperunt. Nimis vereor, ne Tumultus hujuſmodi (quibus parum honeſtatur *Proteſtantium* Cauſa) ad abalienandum ejus animum porro valeant, & affectum longius abducendum ab illa Religione, in quâ hactenus ſolùm diſcrepavimus.

Quod tamen Deus poteſt, veneror que ut velit aliquando removere, neque hæc ſinat

qua-

qualiacunque facinora Judicio Illius officere, cum ab iis fere Hominibus profecta ſint, queis Religio ſua adhuc quærenda eſt,nec quid certi adhuc de Doctrina, vel Regimine,aut Moribus conſtitutum; atque adeò nullo modo *Anglicanis Proteſtantibus* imputanda, qui Illis Primis ſuis *Principiis* & *conſtitutis Legibus* adhærent.

Dolet, noſtram cum Illa conjunctionem, tam præclara meritæ Fœminæ periculum & ærumnas creaſſe, cujus virtutes vel inter feros *Indos* præſidium ſibi inveniſſent; cum minus his capitaliter infenſa ſit agreſtis eorum *Barbaries*, quàm ficta quorundam *Aſtucia*: quanquam paucos eâ Malitiâ crediderim, ut perinde Ipſius cauſa oderint. Crimen Illi eſt noſtrum conjugium.

Iure ergo optimo, haud ſecùs quàm *Affectu* proprio impellor, ut illius *ſecuritati* proſpiciam, quæ meâ ſolâ cauſâ periclitatur: In me omnes incumbant Tempeſtates: fuerim omni vento jactatus, & naufragus, dum *Illa* tuto in Portu conquieſcat.

Hoc ſaltem ſolatio ex Illius incolumitate in mediis meis malis fruar, quòd ſim dimidio mei duntaxat, *Illa* ſalva, periturus, in Cujus ſaltem Memoria, & ſpem noſtram ſolantibus liberis, ſuperſtes uſque fiam Inimicorum malitiæ, licet nec ſanguine meo ſaturandæ.

Illam ergo Amori & Fidei Bonorum ſubditorum commendo, & Illius in primis Patrocinio, qui ſevere plectens Principum Crimi-

na,

na, non minori aſperitate factas Illis Injurias ulciſcitur, cùm ab iis præſertim inferantur, qui omnibus officii & obſequii vinculis ad eam Illis incolumitatem præſtandam, in qua Lex Regibus præcipuè cavet, obligantur.

Sed fruſtrà Speratur Humanitas, ubi Fides in Principem diſputatur, aut quocunque nexu Regio & parentelâ munitam tuto poſſe inter Illos verſari qui, quo firmius Religionem ſuam amplecti credantur omne prorſus obſequium projecerint.

Deplorandum interim, Animam iſtam Generoſam Paciſque amantiſſimam, id videre, multo magis id pati potuiſſe ab eorum Ferocia, queîs, quod deeſt Juſtitiæ, immanitate, & Impudentia ſupplendum.

Eluceſcet Illius aliquando (hac mecum in adverſis meis ſympathia) velut in obſcura Nocte ſtella, virtus clarior, & Invido Orbi oſtendet Illam *Me*. non *Fortunas* meas amaſſe.

Faciles ad Ignoſcendum Vterque ſumus, vulgo præſertim Hominum, in quos utcunque Inhumanos, magna pars hujus Criminis non cadit. Ita enim Deo viſum eſt experiri Patientiam noſtram novo quodam & ſeipſum aliquando ulturo Scelere, Eorum Scilicet, Ingratitudine, qui paſti Pane noſtro, & Munificentia ditati, ſuperbè ſe contra Nos extulerunt, è Domeſticis facti Adverſarii. Deus Illis hoc Peccatum non imputet, qui cætera omnia (in quæ maximè obligantur officia) Religionis hoc *Corbana* excuſant, & ægrius aſpiciunt,

quam

quàm peccant in Eos, qui non Principes illis magis, quàm Patroni benefici extiterant.

Eo verò forſan excuſatior eſt Inimicorum meorum in hac parte, prudentia, quo magis neceſſarium videretur Eorum conſiliis, ut probroſis Criminationibus, & omne genus Inſolentiis illam è Regnis meis pellendam curarent, ne Exempli Ipſius Influxu (raræ certè in conjugem Charitatis, in Regem Fidei) Eos omnes, quos corrumpere ſatagebant, vel ad amorem mei & obſequium pertraheret, vel in iis conſtantes retineret.

Quò minus gaudeam jam Illius Conſortio, eò magis intrò ſecedam ad Deum Meum, & Cor meum, unde nulla eam malitia profligabit. Invideant mihi licet Hoſtes mei, haud tamen unquam eripient, ne Virtutibus Illius, dum Meipſo frui datur, ſimul fruar.

Tu (Domine) cujus Iuſtitiæ in præſens viſum eſt nos ita diſtrahere, re-unias nos invicem Tuo tempore, Tua Miſericordia, idque in Terris, ſi ita tibi placuerit, Ambos verò utcunque ad Cæleſte Tuum Regnum perducas.

Libera nos à Manibus Inimicorum noſtrorum Perniciem & virus ſpirantium, & Perpeſſionibus Noſtris præpara nos in Tuum Conſpectum.

Licet in nonnullis in Re Religionis *(quæ mihi maxima eſt in Mundo Infælicitas) diſcrepamus, donec tamen (Domine) & accipias ſinceritatem Affectuum Noſtrorum, qua omnem Tui veritatem, quærere, invenire, amplecti concupiſcimus.*

Conſen-

Conſentiant Corda utriuſque noſtrum in Amore Tui, & Chriſti pro Nobis Crucifixi.

Doceas nos ea quæ tu ſciri poſtulas quæcunque Gloriæ Tuæ, Officiis Noſtris Publicis, vel Æterno Animarum Bono neceſſaria, & fac ut ſedulò agamus quod Bonum Scimus.

Nulla cognitu neceſſarii Ignorantia, nec in iis quæ cognoſcimus Incredulitas, vel Inobedientia, cedat in miſeriam noſtram, aut voluntarium Peccatum.

Quin nec Ingens iſtud Scandalum à ſubditis Meis, eandem mecum Religionem profitentibus, obſtet Illi in amore veritatis, quam tu Illam perdiſcere, vel in quocunque Errore induret quem tu illi illuſtrari voluiſti.

Adverſus hujus Exempli venenum, Mea ſit & aliorum Conſtantia Antidotus.

Vera illa, quam profiteor, Religio exhibeatur Illius Iudicio cum ſpecioſâ illâ facie Humilitatis, Fidelitatis Charitatis, & Pacis, quos revera peculiares ſibi Fructus & ornamenta habet, haud verò amplius odioſa & deformi larva Levitatis, Schiſmatis, Hæreſeôs, Novitatis, Sævitiæ, & Perfidiæ, quâ, nonnullorum facinora Illam nuper induerunt.

Videat Sacras Tuas & Salvificas veritates prout Tuæ ſunt, ut iis credat, amet, obſequatur ut Tuis, ab omni Scoria, & Rubigine Humanarum Admiſtionum expurgatis.

Vt in ſpeculo veritatis tuæ Te contempletur in ea Tua miſericordia, quam Tu nobis exhibuiſti in Filio Tuo Ieſu Chriſto Servatore noſtro Vnico, &

illum

illum cultum tibi exhibeat denuò; in omnibus illis ſanctis officiis, quæ Sacroſanctæ tuæ Doctrinæ conſentiant & exemplo in primis imitando.

Experti, in hac noſtra Diſsipatione, & Eclypſi; quàm vana prorſus & fluxa eſt Humana omnis Gloria, & Magnitudo, eò Studioſius ambiamus perpetuis illis Honoribus, & Perfectione potiri, quam in Te ſolum invenire fas eſt, & per Ieſum Chriſtum acquirere.

3. *De Excluſione Regis ad* Hullam *urbem*, & Hothamiorum *fatis.*

CVm ab *Hulla* excluderer, viſum eſt primâ facie tam inſolens facinus, & aperta obſequii Detrectatio, ut Ipſi mei Inimici vix auderent tanquam ſuum agnoſcere. Erat hoc quidem Primum illis *Patientiæ* meæ Tentamen, quàm ſcilicet æquo poſſem animo Spoliari Regnis.

Quo tamen (Deus novit) non tam Ira mea

mea commota eſt ob acceptam injuriam, quàm Dolor ſummus pudorque, id ab iis Flagitii admiſſum, quod jam nullo erat colore excuſandum.

Volui tamen hoc utcunque concoquere, atque alia complura: quanquam ſatis viderem vix intra unum hoc facinus continere ſe jam amplius poſſe, queis vel illud patrandi, vel propugnandi Audacia non defuerat. Erat Hoc *Manus* tantùm *Inchoantis Nubeculæ* quæ paullò poſt per Totum Regnum *diffuſa*, Confuſione omnia & Tenebris miſcebat.

Viget enim hoc Improbum inprimis inter audaces Aggreſſores & Perduelles Axioma. *Actis nefariis ejuſmodi deteriora ſemper ſubjungenda: ſatius eſſe non inchoari, quàm non ad finem perduci, Plus in Receſſu, quàm Fronte periculi, & quovis Crimine exitialius eſſe, reſipiſcere.*

Hoc demum mihi oculos aperuit, ut jam per omnes eorum Pias Fraudes, & Blandiſſima Integumenta perſpicerem, quorum verba oleo molliora jam in Gladios deſitura prævideram.

Adverſus hæc, cum nil aliud tùm eſſet quod opponerem præter Bonam Conſcientiam, prudentiſſimum duxi, patienter id ferre, cui mederi non poteram. Et in hoc (Deo Gratias) vici *Hothamium*; quòd indignè licet ab Illo acceptus, nullo odio incenſus, aut præcipiti Iracundia ita abreptus fuerim, ut quicquam

quam dicerem, vel facerem Me Ipſo Indignum; vel illâ Animi *Moderatione*, quæ cum ad Magnum *Chriſti* Exemplum proximè accedens, Chriſtianum inter Maximas Injurias optimè docet.

Quin Illius potius memor eſſe ſemper cupio, *Chriſtianum* Me eſſe quam *Regem*: quod enim hujus *Majeſtas* merito aſpernetur *Charitas* illius Lubens tolerat: quod *Sublimitas Regia* ad ulciſcendum ſtimulat *Humilitas Chriſtiana* Ignoſcendum docet; omnem eam Paſſionum Impotentiam intra juſtos Cancellos circumſcribens, quarum *Exceſſus* plus vel Ipſis Graviſſimis Hoſtibus damni inferunt: cum per hos demum ad Animas uſque noſtras pervadat eorum Malitia, quæ alias nec longe extendi poterat, nec vehementer nocere.

Haud tamen Illud præterire debeam, quod non multo poſtea ita egit Deus & vindicavit Cauſam meam præ totius Mundi oculis, ut nemo eſſet tam pervicaciter cœcus, qui non hoc vel invitus cernere, metuque aliquo, & gravi ſenſu cogeretur Memorabilem illam plagam, & ultionis Divinæ Præſagium agnoſcere.

Ioannes enim *Huthamius* nullis à me Conviciis acceptus, nullis Minis, nullis aut verborum, aut Secreta animi mei Imprecatione devotus, ſed Conſcientiâ ſceleris ſui tantùm perculſus, & ab una Inconſtantia ad Aliam delapſus, brevi, ſuo & Filii ſui Majoris

joris Capite, pœnas luit tantæ Perfidiæ, ab iis Ipſis multatus, à quibus aliam Mercedem uterque ſperare poterant, quàm ut *Capita* ſic illis à Corporibus disjungerent, quorum *Corda* juxta erant à Rege ſuo diviſa.

Neque haud ita mirandum eſt, Eos qui in Re tanti Momenti, & tàm Proſpera opera Illorum uſi fuerant Miſericordiam non inveniſſe, quâ tam præclarè de ſe meritis ignoſcerent; *Apoſtaſia enim ad Fidem Priſtinam Scelus eſt nonnullis omnium maximè Irremiſſibile.*

Sed nec ultio ſuffecit *ſolitaria*, nec *unius* è Familia *Capitis* abſciſſione expiatur ſatis Contumelia ſummo *Capiti* Reipublicæ inflicta: Involuendus eſt Major Natu Filius eodem ipſo ſupplicio, eodem ipſo cum Patre crimine adverſus Patriæ Parentem, maculatus. *Germen & Radicem* Deus voluit uno Die exſcindere.

Occurrent hæc facile cuivis. Quod ad me attinet, tantum abſui ut lætarer *Hothamii* pernicie, (quod tamen cùm ab iis orta eſſet quibus Miniſterium ſuum Primus contra Me locaverat, vel *ſitim* Maximam *vindictæ* explere potuiſſet) ut Illius tanto gravius miſereret, quo Eum magis adverſatum Conſcientiæ ſuæ, quàm in Eadem cauſa cæteros, arbitrarer.

Nunquam enim ea habitus eſt ſuperſtitioſa *Moroſitate*, quam nonnulli præ ſe ferunt in Religionis Cauſa, quæ ita tenebras offundit Judicio, ut nil prorſus malum eſſe, aut perfidum

dum appareat in quibuſcunque utuntur in hunc Finem Mediis, quo ad Religionis ſuæ (ut vocant) Inſtar, Reformatio fiat; atque id omnem ducunt *Pietatis* quicquid *Zeli* quadam ſpecie & *Ferventis* coruſcat.

Longe ab his diverſum cenſeo *Ioannem Hothamum*, atque adeo craſſæ Illi *Ambitionis* Tentationi faciliorem, quæ nullo Fuco, aut Falſo Religionis, vel ſibi, vel aliis imponit.

Eo verò magis Illius miſeret, quod cùm ſeſe in pœnitentiam cœpiſſet, & Peccatum tamen admiſſum officio aliquo redimere conatus eſſet, tam infœliciter cum eo actum fuerit, ut in Illorum potius *Juſtitiæ* Manus, quam in Meam *Miſericordiam* incideret, qui æque faciles fuiſſent hanc veniam dare, quàm Ille à Me petere.

Clementiam enim Debitum quoddam exiſtimo perſolvendum Petentibus, iis ſaltem, quos credibile eſt haud in malum deinceps auſuros, cum Deus Ipſe nihil aliud à Nobis in *Miſericordiæ* ſuæ Pretium, quam *Preces*, & *Laudes* accipiat.

Heu Hominem Infœlicem! qui Monumentum jam extat Infauſtæ Perfidiæ: Simulque Orbi Docùmentum triſti Mortis ſuæ & acerbo Spectaculo, quas ſecum pœnas trahit (tanquam umbram Corpus indiviſam) Inſolentia ſubditi in Principem. In his enim plerunque ſævi illi maximè & Implacabiles, quibus primò hæc opera navatur.

Quæret de *Hothamio* Poſteritas, an plus in *Hulla*

Nulla Ignominiæ vel in *Arcis Londinenſis Colle* contraxerit; quanquam id verum ſit, nullo ita ſupplicio contaminari Honorem, quàm ſic ſponte patrato Inhoneſto Facinore, quod, præter vulnus conſcientiæ, æterno Infamiæ ſtigmate urit Nomen & memoriam in omnem Poſteritatem, quæ à ſtudiis Sæculi, & Partibus libera incorruptius multo judicabit.

Tu vero (Domine) qui tam inſigni exemplo Famulum Tuum vindicaſti, ne me inde patiaris quid ſecretæ voluptatis haurire, nec Mors Illa, quâ, pro Injuria mihi facta ſatis luitur, ulli Amplius Aſſectui Meo gratificetur, ne Vindictam Tuam, Meam faciam: & plus admiſſam in me contumeliam, quàm in Te peccatum intuear.

Tu ſane abſque ullo Conatu meo, vel deſiderio fecisti ut convertatur Malum Ejus in Caput Ejus & in verticem Ipſius Iniquitas ejus deſcendat. Suſcepiſti cauſam meam coram filiis hominum, ut ſciant quia manus tua hæc, & tu Domine feciſti eam.

Haud enim dicam, haud auſim dicere, ſi pereant omnes Inimici mei. Imo (Domine) Veniam ſis potius, & Pœnitentiam dones, & (ſi Benedicta tua voluntas fuerit) Impunitatem.

Ne præveniat Tua Iuſtitia Objecta, & opportunitates Meæ Miſericordiæ, Imo vivant, & emendentur qui in Me tàm atrociter deliquerunt, ut Illos Saltem condonandos habeam, quorũ in me offenſæ, Meis ſunt in Tuam Majeſtatem ſimillimæ,

quas

quas jam ſpero Miſericordiã Tuam mihi ignoviſſe.

Ne ſtatuas Illis (qui adhuc vivunt) Peccata ſua in Condemnationem, ſed Conſcientiis duntaxat ut emendentur. Fulmen iſtud quo Vnus tam atrociter perculſus eſt, omnes terreat.

Detege ignorantibus Peccatum ſuum, & à Peccato Sceleratæ Prævaricationis *abſterge, ut anticipantes Iudicia Tua vera Pœnitentia, Iræ Tuæ Æternæ plagas effugiant.*

Et Tu Domine ſtabilias Thronum Meum in Miſericordia & veritate ſibi obviantibus : *floreat Corona mea in* Juſtitia & Pace oſculantibus.

Exaudi Preces meas (Domine) qui nos orare docuiſti pro Inimicis Noſtris, iiſdemque benefacere, & Tui causâ, amare, qui ultro Amorem Tuum exhibens nos Hoſtes Tuos prævenisti, & miſiſti Filium Tuum Ieſum Chriſtum, qui pro Nobis moreretur, cùm Nos Illum parati eſſemus Crucifigere.

---

9. *De Exercitibus conſcriptis, & contra* Regem *levatis.*

IN Eodem me adhuc ſtatu agnoſco, quo fui, cùm *Alba Aula* coactus diſcederem. Quod *Tumultus* non poterāt, jam facturus eſt *Exercitus :* qui nil aliud revera eſt quam

Tumultus Conſcripti & methodo quadam meliori, ſed in eundem prorſus Finem ordinati. Crevit Illis ex Diſceſſu meo Fiducia poſſe Me etiam & vinci.

Quod quidem perfacile eſt, ſi quis Robur Meum Externum ſpectet, perexiguum certè aut Nullum. Animus verò mihi ſupereſt (Dei Gratia Roborante) Invictus, quo ſuperiorem me futurum haud dubito, ſi eum modum Conſtantiæ Deus dederit, ut Illum potius quàm Homines metuam, & *Internam Conſcientiæ* Pacem cuivis *Externæ Quieti* anteferam.

Ergo jam Vi oppugnandus ſum, quia Rationes quas opponant, non habent? Erige Te Anima mea & confortare: Agnoſcunt ſcilicet Imbecillitatem ſuam, quamque ſint à Veritate, & Juſtitia inopes, qui ſic Armis malint quàm Argumentis Contendere.

Hanc ergo mihi Gratiam referunt, hanc mihi mercedem rependunt tot ob Leges Benigne Sancitas, & ob ea quæ indigne pertulerim? Nulla ergo ratio ſupereſt, quâ *Princeps* tandem *Glorioſus* niſi ex Perpeſſionibus meis efficiar?

Anxia ſanè & difficilis optio *Amanti Populum Principi*, & ab iis viciſſim amari cupido, ut vel ſuos occidat, vel à ſuis occidatur.

Ergo Belli Civilis Miſeriam & Pericula in ipſis Florentiſſimi Regni mei viſceribus ſupremum tandem Fructum percipio Regni per Septem-decem annos adminiſtrati, eâ *Iuſtitiæ Pacis, Affluentiæ* & *Religionis* menſurâ, ut vicinis

nis circùm Gentibus admirationi eſſet vel Invidiæ? etiamſi fieri poſſet ut Abuſus nonnulli irreperent, pravis forſan Eorum conſiliis qui ad ſuos tantum Fines collimârunt, vel lividâ aliorum Moroſitate, qui quicquam Publicæ Rei ſine ſeipſis adminiſtrari invidebant, vel Arcano potius Regnorum & Inſuperabili Fato, quàm ullâ mei Ingenii ad Injurias, aut Oppreſſiones, ut ſpero, proclivitate.

Cujus enim unquam Toto Regni Mei Tempore, innocentem ſanguinem fudi, ut ſic Iræ meæ, Libidini, Avaritiæ litarem? Quæ Viduæ aut Orphani Lachrymæ in Teſtimonium Me contra producentur, ut eorum Juſtis clamoribus ſanguine Meo Satisfieret? Idem enim Omnium in Bello periculum: nec *Diſcrimen Perſonarum* Glans Sclopeti agnoſcit.

Fruſtra igitur *Perſonam Meam* excipiunt, Supervacuâ Verborum *Parentheſi*, cum tot Manus in me Gladiis armantur.

Teſtis mihi eſt Deus, quàm ſeriò huc animum intenderim, ut quibus *Juſtitiæ Fundamentis* Bellum Hoc inniteretur, perſpicerem, ut Æquiſſimis Conditionibus delatis, vel tempeſtive occurrerem Inteſtino huic Motui, vel maturè terminarem: qui pleriſque haud immeritò videtur, è *Longæ* Pacis *Nauſea*, & *Laſciviâ Animorum* fluxiſſe, vel *Privatis* potius *Æmulationibus*, *Ambitione* & *ſtudiis* quam in ſolida ulla Cauſa fundari, quaſi aut Publica Juſtitia intercluſa eſſet, aut *Parlamentorum Privilegia* violata.

Quod tamen cùm obtendunt, incumbit Mihi maximè diluendum, coram Deo ſaltem in Conſcientia Mea, quanquam nolint Mihi fidem habere nonnulli, ne ſeipſos condemnent.

Cùm primùm ab *Alba Aula* ſecederem, eo prorſus Conſilio, ut *Tumultuantium* Inſolentiam ſedarem (quos non antea fuiſſe oppreſſos, conceſſo præſertim quo id fieret Armato ſatellitio, nulla alia poteſt cauſa afferri, quàm, ut Meam, & *utriuſque Ordinis* Libertatem pronunciandi ſecundum Conſcientias Noſtras tollerent) in quo amplius tunc temporis impedita Juſtitia eſt quàm, quod uni Juſtum, alii fortè non item videbatur?

Ecquis unquam Potentiâ mea contra *Parlamenti Juſtitiam* protectus?

Quod vero Nonnulli receſſerint, Iniquitatem Judiciorum ſuſpicantes, & *Straffordii* Fato admoniti (eadem adhuc Plebe interminante, Ipſis nempe Interitum, & de judicibus eorum ſe cognituros) ex Illo fluxit *Inſtinctu Naturali* quo ſe omnes velint conſervare. Si qui Alii ſe ſiſtere recuſarent, cùm id clarè perſpicerent, ita *Juſtitiæ* & *Libertatis* curſum ab Illuvie illa Populi obſtrui & turbari, ut nec Legitimi ſui *Judices* vel in *Domos* venire auderent, vel ſenſus ſuos liberè & tuto profiteri, mirum haud videri debet æquo homini, cùm, vel Publico ſemel odio objici ſatis eſſet ad cujuſquam perniciem. causâ omninò inauditâ, vel nondum cognitâ.

His

His ſi minus fuiſſent Factionum Tumultibus, *utriuſque Domus* Libertas & Honos oppreſſa, ſi Juſtitiam ſuam contra Illos aſſeruiſſent, aditumque tutum Omnibus ad Conſcientias ſuas Declarandas præſtitiſſent, neminem mihi novi tam charum, cui vel omninò conſuluiſſem ſecedere, vel ut citatus negaret comparere; ab iis præſertim, quorum Sententiæ ſecundum Legem prolatæ omnem ſubditum opinor ſtare oportere.

Creverat ſane ita in immenſum hic Furor (quia his vulgi Inſolentiis haud tempori itum eſt obviam) ut hoc maximum eſſet Crimen Eorum quos ut Noxios depoſcebant, & damnabant ſuffragiis, quòd Scilicet ab his ſe *Tumultibus* in Ordinem cogi, nec à Patronis eorum contineri paterentur, nec ſuffragiis ſuis denique aut Præſentiâ obſecundarent illorum Conſiliis qui Res Novas agitabant cum *Eccleſiæ* & *Status* pernicie.

In quo quidem Conſtantiam eorum & Cautelam laudo, ultra nihil cujuſquam *Contumaciæ* indulſi adverſus *Domuum ſtatuta* & Privilegia, quibus nil magis optavi, quam ut Libertas Illis ſua, & Incolumitas, & Integer Numerus conſtaret.

Res autem ſic ſe habet. Nonnulli eorum atque ii non pauci, cùm æquo & Recto *Parlamentorum* more (ubi liberè Conſultandi, & ſuffragandi locus) majorem partem *Procerum* & *Communitatis* in ſententiam ſuam trahere deſperarent, huc demum incumbuerunt,

ut præcipiti ſedulitate factioſorum Tumultuum abſterrerent Illos omnes & penitus exigerent, quos peſſimis ſuis Conſiliis adverſari perſpexerant.

Quoties enim in Re illa *Epiſcopali* an *Loco* ſuo *Antiquo* & *Indubiis Privilegiis* in *Domo Parium* gauderent, obtinuit eorum Cauſa, Majore Parte Procerum ſecundum Illos pronunciante? Hæc tamen adverſus Illos *Rogatio quinquies* licet repudiata rurſum Contra Fas omne & Morem, per vim & Turbam obtruſa & à Paucis admodum perlata eſt, cum plærique è Proceribus eâdem vi coacti neceſſario abeſſent.

Quemadmodum etiam & Lex Illa *de Radice & Germine* Omni Tumultuantium clamore, & *Schiſmaticis Terroribus* promota, haud tamen utique ferri poterat, dum in Vtramque Domum infrequentiâ jam ſuâ Rarefactam poſtremò vi invaleſcerent.

His ergo Studiis iniquis dum (prout Ratio, Juſtitia, Religio exigit) Conſcientia prohibeor adſtipulari, cæteraſque eorum ſententias, conſenſu meo *Acta Parlamentaria* efficere, propter hoc jam Armis impugnor, atque in eam neceſſitatem redigor, ut vel Me & Regnum Meum (dum me coner defendere) in Extremum Diſcrimen adducam, vel *cæca* quadam *Obedientiâ* Conſcientiam Meam iis proſternam, qui *Superſtitioſo* quodam *Zelo* vel credunt, vel ſimulant credere, ſe Deo & *Eccleſiæ* melius inſervire non poſſe, quam ſi *Pri-*

mitivum Apoſtolicum, & *Antiquitus Univerſale Eccleſiæ per Epiſcopos Regimen* exſtinguant penitus, & aboleant.

Quod quidem cùm Alii mero judicio ſuo ducti ſatis ſe credant ad tuendum obligari, vel ſaltem ne in Illius *Abolitionem* conſentiant, quanto hoc mihi incumbit vehementius, qui præter ea *Fundamenta* Judicii mei mihi cum Aliis communia, etiam I*uramentum* ſuſcepi in Conſcientiam meam, R*igidum* prorſus & Indiſpenſabile, ad hunc Ipſum *Ordinem* & *Eccleſiæ* I*ura* conſervanda: quod ſi unquam conſenſu meo violarem, atque adeò ſacrilego & deteſtando Perjurio Chriſtiano Rege indigniſſimo illigarer, ſupra omnes miſerias ducerem quæcunque mihi jam obtigerunt, vel unquam poſſint obtingere: cùm vel *minimum peccatum* plus in ſe mali habeat *Calamitate Maxima* quacunque. Illud tamen ſi protinus feciſſem, & *Factioni* Iſti *Anti-Epiſcopali* in hac ſua *Rogatione* indulſiſſem, Furenti eorum Avaritiæ, aut Ambitioni, aut vindictæ poſtremò Appetitui, Eccleſiæ R*egimine* & P*roventibus* immolatis, ſtatim Illa ſpecioſa Neceſſitas conſcribendi Exercitus quo *Delinquentes* videlicet ad pœnas traherent, omnis fuiſſet evanitura.

Quod in *Legem* eam conſenſerim quæ Epiſcopos excluſit è *Domo Parium*, ex ea maximè fluxit Fiducia, quâ ſperabam æquanimiter illos laturos detrahi aliquid in præſens Juri ſuo

& Honori (in Mei & Reipublicæ gratiam) quàm vel minimò ab Illis obice poſito Mihi & Regnis Meis periculum creari. Ne verò porro conſenſum meum adjiciam ad extirpandum penitus illud Regimen (quod tamen *æquâ & commoda Ratione Regulandum* ſæpe ultro propoſui) eò amplius Conſcientiâ meâ obſtringor, quatenus illud *Religioſum* & *Apoſtolicum*, imò ita *ſacrum* prorſus & *Divinum* cenſeam , ut non modò non *aboleri*, ſed omninò cum Illo diſpenſari non poſſit , cum quæ à *Civili Gratiâ* , *Honoris Privilegia* Illius Ordinis Hominibus conceſſa fuerint , liceat forſan eorum , quorum intereſt , conſenſu abrogari.

Hæ nempe ſunt illæ *Obſtructiones*, quas in *Juſtitiam* , & *Authoritatem Parlamentariam* factas , paſſim divulgabant , cùm (Deum Teſtem appello) nullas ſcirem illius Momenti, ut vel Belli mentione opus eſſet , cùm non aliæ prorſus fuerint , quàm , quas *Juſtitia*, *Ratio* , & *Religio* meæ & Aliorum Conſcientiis ſuggeſſerant.

Poſtea quidem Magna ſpecies *Delinquentium* apparuit : quod neceſſario erat ſecuturum ſubducentibus ſe Plurimis exemplo meo , & ſe ab Impetu Illorum tutantibus. At hæc prima Conſcribendi exercitus cauſa eſſe non poterat , in quo tantùm abeſt ut eos prævenerim (quod crebrò ab Illis jactatur , quò ſcilicet Favorabilem ſuam Cauſam reddant tanquam in ſui *Defenſionem* excitati , in me verò , ut Primum Aggreſſorem odium omne , & Invi-

diam

diam transfundant) ut (Deum conſcium appello) nec ſpes ulla Exercitus Animum Meum tentaverit. Si enim, edito in Facinoroſos exemplo *Tumultus* Iſti efficaciter & Honorificè repreſſi fuiſſent, & Libertas *Domorum* ita vindicata, ut utriuſque Ordinis Membra, eo Honore & ſecuritate (quæ *Senatum* ejuſmodi decebat) & accedere, & profiteri Conſcientias ſuas potuiſſent, compos fuiſſem illius, cujus voto receſſeram, & multò celerius rediiſſem quàm tunc abieram, cum illud ſolùm Neceſſitate fecerim, hoc Sponte eſſem facturus.

At nimis gnari Nonnulli, me idem mecum quod extuleram *Iudicium* & *Conſtantiam* relaturum, quæ haud perinde eorum Conſiliis quadrare potuiſſet : invitantes licet reditum meum,& de Abſentia mea graviter querentes, ſatis illam libenter pertulerunt ; præſertim poſtquam Novum illum & ſpecioſum Prætextum excogitaſſent,ideo Arma ſumendi ut *Delinquentes* repeterent, dum interim peſſima illa & minimè omnium ferenda Tumultuantium *Delicta* ac eorum Authores impunè habiti, qui Barbaris & Indignis contumeliis Me & tot ex utroque Ordine à Loco ſuo depulerant, quem non minùs inviti deſerebant, ac His erant libentibus pulſi, ut hinc anſam arriperent illos Hoſtilibus Injuriis perſequendi qui haud ſatis fracto animo Turpis ceſſerant.

Hunc vero Rerum fuiſſe Statum, & præcipuum eorum Conſilium qui contra Me Arma

ceperant, ita liquet ex iis quæ ſecuta ſunt, ut nullum poſtea colorem admittat. Cùm enim diverſis ſubinde *Propoſitionibus*, & Tractatuum *Articulis* ſignificarent, quid à me potiſſimum expeterent, nihil unquam ullius Momenti, vel quoad ipſas Leges, vel Juſtitiæ Adminiſtrationem, exhibitum ab Illis, vel poſtulatum: id ſolum (inter alia minora quæ novari voluerant) acerrimè urgebant, *Abolendum Epiſcopale, & Presbyterorum* Regimen *Conſtituendum.*

Cætera omnia quovis tempore propoſita, vel nihil omnino facientia ad Belli *cauſam*, vel a Me facile conceſſa, vel denique erant hujuſmodi quæ Numerum tantum implebant, aut accedebant poſtea ut *conſecutiva* Belli jam ab illis Injuſtè inchoati.

Penes me non eſt quid alii credant efficere, (ii præcipuè, quos illa ſpecies Pietatis & Clamor, tum ſtudium Religionis, & Reformandi fervor ita occupant plerunque Præjudicio, ut lux omnis Judicii, & æquitas ſimul obſtruatur.) Hæc tamen (quantum obſervare potui) vera fuit & eſt inter nos *controverſia*, & Armorum *Cauſa*, quæ hoc fine, in initio ceperunt, ut vel os mihi penitùs occluderent, vel conſenſum vi exprimerent. Et in hac porro Veritate, (quam Deo Teſte confirmo) tam remotum me fuiſſe a *Belli Cogitatione*, quam eram Mundo coram ab omnibus Rebus *Imparatiſſimus* ita acquieſcit conſcientia Mea, & id invenit ſolatii in mediis ſuis Adverſis, & calamitoſis

mitoſis hujus Belli Eventibus, ut nec inde Me quicquam denigrari, nec vel minimam quamcunque maculam Innocentiæ meæ offuſam agnoſcam, unde nec illâ Integritate & Pace coram Deo deſtituor, ut non Humili Fiduciâ ad Eum preces dirigam.

Tu enim Domine per omnes Rerum *Humanarum Nubes & involucra clarè perſpicis.* Tu *ſine præjudicio judicas.* Tua *Omniſcientia Æterna* Iudicium *tuum præſtat ab Errore ſecurum. Deus Meus Iniqui inſurrexerunt ſuper me, & Synagoga violentorum quæſiverunt animam meam, & non poſuerunt te in conſpectu ſuo.*

R*eſpice inimicos meos quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.*

T*u enim noſti, me nulla cupidine incitatum, nullo fine proprio, nullo denique apparatu inſtructum, quo ſic Bello* Inteſtino Regna *Mea implicarem, ad quod certe nullo pretio invitabar, ut qui plus omnibus exponens periculo, minime omnium lucrari potuiſſem.*

T*u Domine teſtis mihi es, quàm crebrò ingemuerim, & id ſerio laboraverim ut neceſſitatem illius averterem: qui haudquaquam ita impensè avidus exiſtimari poſſum ſubditorum ſanguinis, ut vitam meam propterea in diſcrimen mitterem, quod ſæpe feci coactus in hoc Bello* Infælici, *quodque multo potius factum oportuit in ſalutem* Populi *mei, quam in Perniciem.*

Gratiâ Tua *plurimùm indigeo (Domine) ut*

D 6 *patien-*

patienter adverſa feram, quæ mihi inferri ab Hominibus permiſiſti, multo magis iniquas eorum calumnias qui haud contenti me Bello iſto lædi maximè, id Mundo perſuadere conantur me id primo excitaſſe, vel primam Cauſam dediſſe excitandi.

Ea falſi-loquarum Linguarum confidentia eſt, ut Me propemodum in Innocentiæ Meæ ſuſpicionem adducant. Imo vel libens paterer (meo ſaltem ſilentio) tantum in Me reatum ſuſcipere, modo vel ſic Hoſtium malitiam placare licuiſſet, populumque Meum ab hoc Bello Calamitoſo redimere, cum tu Domine cognoſcas Innocentiam Meam hac in Re.

Tu viros ſanguinum, & Doloſos invenies, quorum plurimi vix dimidiarunt dies ſuos, qui ſibi Ipſis improbarum Machinationum fructus olim, & voluptatem ſpondebant.

Serva Domine famulum Tuum, quod adhuc feciſti, & diſſipa Gentes quæ Bella volunt.

Exurge Domine, exaltare in commotionibus hoſtium meorum, quæ jugiter creſcunt, aſcendunt ſemper: Ecce qui conceperunt dolorem, parturierunt Injuſtitiam, & pepererunt mendacium.

Tu ſcis, id maximè in hoc Bello agi, ut vel Perſonam Meam Interimant, *vel vim faciant Judicio, vel me cogant Conſcientiæ Meæ, & Veritati renunciare.*

In hoc ſum, ut (optione, illi Davidis *contrariâ) optem potius illis Negando in Manus Hominum, crudeli utcunque Miſericordia, quam in Tuas Manus incidere peccando adverſus Conſcientiam*

entiam Meam, atque adeo contra Te (Domine) qui es Ignis Conſumens. *Satius multo ab illis perimi, quàm à Te damnari. Sis Tu Animæ Meæ uſque præſidium, qui Salvos facies* Rectos *Corde.*

Si nil jam præter ſanguinem Meum vel Hoſtibus meis ſatisfacere, vel Regnorum Meorum flammas extinguere, vel Temporalem Tuam Iuſtitiam expiare potuerit, haud repugno (ſi ita Tua Voluntas ſit) quin ab ipſis Meis ſubditis profundatur.

Sed ô Lavetur ſanguis meus ſanguine Illo Innocentis, & Pacifici mei Redemptoris, quo Iuſtitiæ Tuæ non ſolum in præſenti ſæculo, ſed in æternum integrè ſatisfiat, tum ob Peccata mea, tum Populi mei, quem (Te Oro) uſque Tuum agnoſcas, & cum Iram *Tuam Mors Mea ſedaverit, Magnas Tuas erga* Illos *miſericordias memineris, atque illis ignoſcas.* Ita *Pater* Meus, *ignorant enim quid faciunt.*

---

10. *De*

10. *De Regio Armorum Theſauro, Munimentis, Claſſe, &* Militia, *à Parlamento occupatis.*

QVàm falſi Criminis arguar, quòd prior Illos Armis inuaſerim, oculi eorum qui miſerentur mei, & Fidelia Multorum pectora qui pro me tantùm precari audent, abunde teſtimonio eſſe poterunt; quorum vix tot à Parte meâ palam ſtant, quot in Illâ Adverſâ conſcripti Milites; Ita enim prorſus ab omnibus imparatus ſum ad *Bellum* neceſſariis ut deterream planè opem laturos. Quod, ut ſatis argumento eſt quàm invitus pugnârim, ita hoc inſuper confirmat, me in Parte *Defenſiva* verſari, cùm revera ita ſit ſpes mea, & vires exiguæ, quibus Alios *offendam*, ut nil reſtet quo Me-Ipſum *tuear*, & ſim ab eorum Rapinis *ſecurus*.

Haud erit dubium cuiquam, eos qui me ita *Injuriis* præveneraut ſuis etiam *Conſiliis* præve-

prævenifſe, qui tantò me maturius proſpexerant, ut paratiſſimi ad Bellum venirent,& Robur etiam Meum præriperent : dùm,qui ab Illis non ſtant, Meam Partem profiteri non audent : Ità Numero & minis Hoſtium oppreſſa omnium Fides & perterrita. Illud meum credo potius facilè apud illos damnari, quod Innocentiæ Meæ confiſus tam ab omnibus me parare neglexerim, quibus *Ius* meum & *Honos* aſſereretur : haud enim ita facile Bellum mihi indixiſſent, ſi Illos primo adoriri potuiſſem.

Sed nimis benè norunt, nulla alia mihi *Arma* reſidua, quam (illa veterum Chriſtianorum contra ſuos Perſequutores) *Preces* Scilicet, & *Lachrymas*; quæ quidem Bono Viro, ſi non in *Belli Victoriam*, at, in *Martyrii patientiam* ſufficiant.

Ità interim Eorum præreptione occupari mihi Caſtella, Arces, Arma, Naves, *Militiam* eò uſque mihi forſan proderit, ut non amplius confidam in *brachio carnis*, ſed in Dei viventis me tutelam conjiciam, cui æquè facile eſt per *Paucos* admodum aut *Nullos*, ac per *Multos* ſervare.

Qui voraces Ipſos vultures obſonari juſſit *Eliæ*, & alimenta illi Miniſtrare, Me etiam externâ ope & præſidio deſtitutum tanquam opportuniorem ſibi factum, patrocinio ſuo poteſt ſublevare.

Haud ita (Deo Gratias) de *Militia* mihi ereptâ laboro,quod ſic *Meipſum* tutari, quàm

quòd

quòd *Populum meum* amplius non poſſim. *Horum* multis & duris Oneribus ingemiſco, *Meis* Malis factus jam ſuperior. Subnixus alis *precum* & *fidei*, externi *Roboris* Manum non deſidero.

Mirâ vero Iſti ratione *Ænigma* illud ſuum explicant, ſe, *Glorioſum* Me *Regem* effecturos, Potentiam Meam Regiam auferendo. Egregium ſane Amicis *Præſidium* ero, & Inimicis *Terror*, cùm nec Illis *opitulari*, nec Hos valeam *opprimere*.

Ita enim rem inſtituerunt, mihique Novam prorſus excogitârunt *Suprematus*, & *Dominationis Regiæ* Formam, in qua Nulla vel Realis Poteſtas, vel obediendi Neceſſitas: ut *Majeſtas* Regum *Angliæ* inſtar *Mahometis* Illius *Sepulchri*, virtute quâdam Magnetica media pendeat inter jus & *Privilegia Domorum*, Phantaſticâ neſcio quâ, & Aereâ prorſus *Regalitate*.

Sed credibile eſt, hanc Nimiæ Poteſtatis *crapulam* quam itâ avidè arripiunt Nonnulli, & penè totam deglutiunt, brevi *nauſcæ* futuram & *faſtidio* Reipublicæ, haud utique illam digeſturæ: Suprema enim *Civium* Poteſtas, rarius arridet Stomacho *Concivium*.

Volui tamen in hoc perpetuæ *Militiæ* Articulo, & Timoribus eorum, & Importunitati Satisfacere, ût vel ſic Amicis meis ſecuritatem præſtarem, vincerem hoſtium odia, & paci omnium conſulerem, Vnicâ illâ Iuvandi & Nocendi Poteſtate exutus, cùm Illis cederem

rem *Militiam*(*Ius* Meum indubitatum juxtà ac *Coronam* meam) ex *utriuſque Domus* Arbitrio, durante Regni Mei Tempore diſponendam.

Tam parato ſum animo, quaſcunque de Me aliorum ſuſpiciones extinguere,& citrà omnes de aliis vivere, ut non majorem *mihi* velim ſecuritatem, quam *Populo* Meo,& *Illis* exopto ; quos etiamſi mihi integrum eſſet de *Militia* ſtatuere, tueri amplius non poſſem , quàm Illi Me , & ſeipſos vellent ; unde mutua nobis invicem *Militiæ* utilitas , meipſum enim eo uſq; tutari cupio, ut ſim Bonos Meos ſubditos propugnandi Capax , ab eorum violentiâ & Fraude , qui ſuæ Improbitatis , & mali animi conſcii , id Mundo perſuaſum cuperent, nulli tutius quàm *Luporum* cuſtodiæ *Gregem* Ipſum cum *Paſtore* committendum. Miſero verò experimento didicerunt Subditi mei, (poſtquam mihi extorta Poteſtas contra Illos & Me ſimul adhibita fuerit) nullam utrinque incolumitatem reſtare , niſi eâ duntaxat ratione qua *Lex* Publicæ Saluti cavendum voluit.

Hæc tamen in Exequendâ *Militiâ* ingens & immenſa *Conceſſio* neutiquam Illis ſatisfacit , qui revera non *mihi* magis quàm *Monarchico Regimini* adverſantur , atque adeò in poſteros laborant tam malignas de *Coronâ* ſuſpiciones transfundere , ut nunquàm amplius *Iura* ſua *Priſtina* (quantùm ad vim *Poteſtatis*) obtinere permittatur : cùm in *hanc* demum *poteſtatem* neceſſe ſit Legem omnem deſinere , ut quæ ab *illa* unicè ſuſtentatur.

Hic

Hic verò, *Honos* me rurſum & I*uſtitia* (quam ſucceſſoribus meis debeo) prohibet, ne in futuram ab Illis penitus abalienationem *Poteſtatis* Iſtius, conſentiam; quod quidem, *Humanitatis* & *Officii ratio* (ne dicam *Honoris* & I*uſtitiæ*) vetuiſſet à me unquam expetere.

Quanquam enim æquo animo feram, obſcurari pauliſper R*adios* meos, & deliquium quoddam pati & *Eclipſin*, ut eorum proſpiciam timoribus, qui ſe illico *torrendos* vel *obcæcandos* metuerent, ſi pleno illo ſplendeſcerem Poteſtatis Regiæ *Fulgore*, quâ me Deus & Leges induerunt; nunquam tamen committam, ut *Sol* Ille ſupremi Dominatus, in Succedentibus mihi Regibus ita in omnem poſteritatem *extinguatur*: ut ullâ *Lege* meâ vel *Sanctione* obſtaculũ fiat Illis vel Præjudicium, quo minus I*uſta* ſua Jura, *injuſtè* Extorta & uſurpata, I*ure* poſſint vindicare. Quod quidem ſi facerem, non I*llis* eſſem magis, quam P*opulo* injurius, quos ſanè nollem in tam perdita in futurum conditione relinquere, ut ſint *perpetua Lege* obnoxii crebris Illis Factionum diſſidiis, quæ *Multicipitem* illam *Hydram* Dominationis neceſſario ſunt conſecutura, quæ, utcunque fucum faciat populo, Majoris (ut inter plures *oculos*) providentiæ, ea tandem reperietur, in quâ plura ſunt *Ora* Hiantia, quæ neceſſe eſt omnia expleri. Porrò (ubi optimè cum illâ agitur) aliquid forſan in ſe enorme habeat quo excedat, non perfectum, quo præſtet

ſtet *Monarchiæ*; in qua, ſpargi poteſt in Varios, velut *ſenſus*, *conſilium*, ſuprema vero in *Uno* tantum ut in *Capite*, Poteſtas.

Fortè, olim Horrores expertis & *Malignas Influentias* ex hac meâ *Obtenebratione* & *Eclipſi* (interpoſitâ videlicet illius *Corporis* umbrâ, quod à me ſolum ut *Luna* Lucem ſuam mutuatur) gratior erit reſtituti ſui *Solis* Gloria; & in pretio majore fœlicitas.

In præſentia, ſi hâc Juris mei diminutione in exercendâ *Militia* minus videar fidē Meam, & Juramentum tueri, quod in Populi defenſionem ſuſceperam, eorum culpa eſt (opinor qui mihi hanc neceſſitatem fecerunt,nova quadam & præpoſtera ratione fidem meam liberandi, dum ſic videar *Fidei commiſſa* deſerere, atque ita ſolum conſervandi ſubditos meos, ut, in pacem eorum, & quietem, me periculo aut infamiæ objiciam.

Id enim, in Bello Civili, prævalente Parte una, aliter effici non poteſt,niſi cedat altera; quod tamen ut faciam, plus in me valet Amor Publici, & firma Auxilii Divini fiducia, (quæ è Bona Conſcientia fluit) quam quæ unquam ſperari poſſunt ab eorum *Timoribus*,qui (cum ex facinorum ſuorum Improbitate quantumvis proſpera oriantur,) nunquam aliàs eos ſecuros præſtabunt,quam *Militia* & Gladio munitos, quæ tamen infirma admodum ſunt munimina adverſus *Iræ* Divinæ & *Conſcientiæ* ſuæ flagella, quorum hæc, ſemper nefariè admiſſa comitantur, illa olim proculdubio deprehendent.

Mihi

Mihi interim non videbor carere, quicquid *Provida Neceſsitas*, in Populi Mei *Pacem*, & Dei *Gloriam* Ereptura eſt. Hic mihi ſatis præſidio eſt, qui ſi unus adfuerit, abunde poteſt compenſare (ut olim Sancto ſuo *Iob*) quicquid Honoris, Potentiæ, Libertatis, *Chaldei*, aut *Sabei*, vel Ipſe etiam Diabolus abſtulerit.

Eripiant mihi licet omne Armorum & *Militiæ* Robur, omnia *Arcium*, & *Muniminum* in Terra refugia, omnem in *Claſſe* & *Navigiis* per Mare, fugam; rapiant ipſa mihi etiam ſubditorum meorum Corda, (optimum Regis Theſaurum & propugnaculum) nunquam tamen Innocentiam, aut Dei miſericordiam adiment, vel ad cœlum mihi viam intercludent.

Ad Te igitur (Deus Meus) & tuam opem confugio, Tu, ſi mihi adſtare volueris, plus erit mecum, quam contra Me.

Quid enim mihi eſt in cælo, & à Te quid volui ſuper Terram, Etiam cum omnibus rebus diſpolier Tu mihi fias potior omnibus. Ne elongaveris à me auxilium Tuum, qui non derelinquis eos qui confidunt in Te.

Vides nullum mihi Robur ſupereſſe, quod, contra Me venientibus opponam, qui, pro me pugnandi prætextu, animati, in me pugnant acerrimè, ſed ad Te oculos Meos dirigo.

Tu non eges auxilio, nec Ipſe porrò, ſi Tu adſis, eguero, quo pati poſſim ſaltem, ſi non vincere.

Si

Si ſaluie mea, & proſperis haud delectaris, en me promptum in quodcunque de me vis fieri, cujus ſæpè Iudicia à Filiis tuis ordiuntur.

Ipſe nihil fiam ut Tu ſis omnia.

Tu me docuiſti Nullum Regem *ſalvari multitudine Exercitus, Tu me potes ſervare Miſericordiarum* Tuarum *Multitudine qui es* Dominus Exercituum *&* Miſericordiarum Pater.

Subvenias mihi Domine undequaque oppreſſo, Tu meas partes ſuſcipias, & non timebo quid faciat mihi Caro.

Gloriam tuæ Iuſtitiæ in Adverſis Meis, agnoſco. O glorificet ſe Tua Miſericordia in liberando Me ab iis qui Animam meam perſequuntur.

Per peccata mea contra Te pugnavi, Tuus ſubditus, & Te Gloria Tua Spoliavi, jure ergo Tu optimo potes Me per ſubditos meos & ſpoliare Robore *meo, & obſcurare Gloriam.*

Quin Te Monſtres ſpes mea, & unicum Perfugium: Ne *dicant Inimici mei, non eſt ſalus Ipſi in Deo ejus.*

Perfice greſſus meos in ſemitis Tuis ut non moveantur veſtigia mea, ne nutent pedes mei.

Cuſtodi me ut pupillam oculi, ſub umbra alarum tuarum protege me.

Inſigniter oſtende Bonitatem Tuam, *tu qui ſervas dextra tua ſperantes in* Te, *à reſiſtentibus Dexteræ* Tuæ.

Ab Impiis hominibus qui me opprimunt, & ab Inimicis, qui animam Meam circumdederunt.

Vias

Vias vitæ demonſtra, adimplebis me lætitia cum vultu Tuo, delectationes in dextera Tua uſque in finem.

---

11. *De* XIX. Propoſitionibus *cùm primum Regi exhiberentur, & iis quæ deinceps.*

Qvanquam plurima hîc poſtulantur; tamen ſi extrema ſint iſta quæ petunt, juvat tandem cognoſcere, quod *pretium* ab Illis *Incolumitati meæ*, & *Paci Publicæ* indicitur, quæ quidem nunquam exiſtimabo me nimio poſſe *redimere*, modò id fiat ſine *Conſcientiæ* & *Honoris* jactura: Si non alias licuerit, eligam potius omnem illam Calamitatem & Infamiam, quam mihi poſſint Inimiciſſimi vel optare, vel infligere.

Quædam ex his quæ *proponunt*, olim à Me ultro Illis delata; alia ſunt quæ facilè poſſunt concedi. Quod ad cætera, cùm jam pridem declaraverim Me illis ſalva *Conſcientia* aſſentiri non poſſe, haud æquum arbitror, ut di-
ſtrictis

ſtrictis Gladiis, & Injuriis *Belli* obtrudantur. Mirum verò, nullam aliam *Pacis* iniri poſſe rationem, quàm, qua *Bellum* mihi neceſſe eſt Animæ meæ inferre.

Multa hîc à me valdè *expetunt*, nil contra viciſſim redhibent, quo, vel Honoris ſiat grata commutatio, vel, quæ Illis jam indulſerim, vel ſim porrò indulturus, aliquo ſaltem officio compenſentur: In hoc utique Honori meo favent, quod mihi *Datoris* tantum partes (quod Regium quidem magis, & *Divinum*) aſſignent. Revera, haud plura *flagitare* poſſunt, quàm ego *dare*; ſervem mihi ſeorſim modò Incommunicabilem *Conſcientiæ* meæ Gemmam, nec illam à me cogar amittere, cujus damnum nihil unquam vel reſarcire poteſt, vel reſtituere.

Quædam verò (quæ His rogare libuerit) ita mihi videntur omni prorſus *Ratione aliena*, ut, dum Ipſe *Rationis* Compos ſim, mirer illos potuiſſe conſenſum meum ſperare: cùm hoc Ipſi ignorare non poſſint, nec cum *Rege*, nec *Chriſtiano*, ut his omnino aſſentiatur, conſtare: Quod tot hactenùs donaverim, auget illis fiduciam, me nihil negaturum.

Multum in me valet (fateor) amor populi mei & Pacis *Publicæ*, at Veritatis tamen ſtudium, & *Internæ* Pacis plus pollet.

Rogant enim hîc à me nonnulla, quibus ſi annuerem, non tam externa mea *conditio Regia* debilior redderetur, quàm afflicta *Conſcientiæ* quies, quæ mihi eſt, & eſſe debet atque etiam

erit

erit, Deo favente, omnibus Regnis potior.

Quædam, quæ approbari forſan alias à Rege poſſent, intereſt tamen aliquando & *prudentiæ* & *Honoris* ut quibuſdam *Hominibus*, & quibuſdam etiam *Temporibus* negentur, ne ſic *omnia* concedens videretur *nil* auſus negare, nimiſque aliis animum faceret, improba & inverecunda poſtulandi.

Vt verò generali adeò, & implicito conſenſu (*id* enim inter cætera *requirunt*) in *omnia* ab Illis allata, vel propoſita adſtringar, tam *cæcæ* eſſet penitus *obedientiæ*, qualis nunquam à libero homine ſperaretur, quàm, cùm à *nullo* prorſus exigere debeamus, multo minus à *Rege* ſubditi, quorum unum-quemlibet fieri poteſt ut *Prudentia* haud minus, quàm *Dignitate* antiſtet.

Idem enim prorſus videtur, ac ſi *Sampſon* ille olim conſenſiſſet non in *manus* ſibi ſolum colligandas & abradendos cincinnos. ſed in *oculorum* etiam excluſionem, quo illi tutius *Philiſtei* illuderent; quod multò potius certè malebant, quàm manſuefactum in contumelias, & ludibriis opportunum ſtatim perdere.

Porrò hæc qualiſcunque arrogantia quâ *omnem* mihi Negandi facultatem tollunt, Illos minimè omnium decere videatur, qui ſe *Humiles Meos ſubditos*, & demiſſe ſupplicantes profitentur, in quo, ſatis ſe agnoſcunt *Inferiores*, & conſequenter obligari, reſponſo ejuſmodi, quod *ſuperioris* ſui Arbitrium vel *Ratio* dederit, etiamſi non integrè Satisfaciat, acquieſcere

cere. Cum penes *illum* ſatentur Vim certe aliquam Rationis, & conſentiendi ac diſſentiendi libertatem, nimis ſtultè alioquin petituri, quod nec liberum negare, nec integrum illi foret concedere.

Quod ſi jus illud mihi utrinque competat, (tùm qua *Ratio* jubet, ut *Homini*, tum, qua *Honos* proculdubio ut *Principi*;) quantâ jam & quam immani injuriâ circumſcribunt *Rationem Meam* intra unam concedendi neceſſitatem quicquid ipſis rogare placuerit? Ipſis, inquam, quorum mens & ſententia (in rebus utique ad *Honorem* & *Rationem* ſpectantibus) à mea forſan longius recedit, quàm ſint Fines noſtri, & *Conditio* diverſa; hanc enim Deus ſatis & Leges diſcriminârunt, cum me *Regem* fecerunt, Illos *Subditos*, à quibus *opponi* mihi hæc verius, quàm *proponi* dicantur, quæ ita Regiæ Authoritati neceſſario *imponuntur*. Haud enim Principis ſui quiſquam Rationem aſtringere, & cancellis præfinire laborabit, niſi qui id ſimul agitat, ut vel dividat *Imperium*, vel in Illum uſurpet.

Hoc vero, pro æquitate ſua poſtulant, ut abdicato meo proprio Judicio, eorum me Arbitrio totum tradam, atque adeò me Eum oſtendam (qualis à Nonnullis depingor) dignum ſcilicet, qui *Pupillus* eorum potius quàm *Princeps* audiam. Meo quidem ut non ita ingenio *arrogo*, quin lubens admittam aliorum Conſilia, ita neque tam penitus *diffido*, ut me, bruto quodam more, quorumvis

in dictata ſubjiciam & Rationis in Anima meâ *Imperio*, & Coronæ *Majeſtate* ſubditis meis ſimul proditâ. Certè, nulla unquam vel Argumenti umbra eſt, quâ eorum cupiditati obtemperare perſuadear, qui ſic ſuam & aliorum libertatem in *Conſeſſu* & ſuffragiis *Parlamentariis* vel Ipſi impugnant, vel ab aliis impugnari negligunt.

Adhæc, omnes qui iſtos norunt, probè ſciunt, quàm Tyrones ſint penitus in Re *Politica* plærique iſtorum qui hæc poſtulant, ut ſanè, dum me ſeptem inſuper annorum experientia docuerit, quam benè vel ſe ipſos regere, vel, quam à me jam extorſerint, potentiam moderari valeant, omnium eſſem ſtolidiſſimus, & Fidei meæ commiſſi proditor, ſi remiſſas è Manu meâ *Rationis* & *Regiminis* habenas, in eorum ſtatim traderem, qui jam pridem inſtar *Iehu, præcipitanter ducuntur*; & qui in *Summam ſedem* inſilire impotenter cupidi, plus multò *Phaëthonta* quam *Phœbum* referunt: Omen Deus avertat.

Id utinam meminerint, ſe (ut optimè cum illis agatur) Sedere in hoc Conſeſſu *Subditos* meos non *Superiores*; Conſiliarios hùc vocari, non Dictatores. Ita enim R*eſcripti* verba habent, ut *Conſilia* ſua proponant, non mihi parendi *neceßitatem*.

Cùm hoc primùm ad me allatum eſſet, *Propoſitiones* mihi aliquas exhibendas, id peti exſpectabam, ut Leges Bonæ, vel jam longo tempore antiquatæ, vel incumbente morum corru-

corruptelâ, oppreſſæ, in vim ſuam priſtinam & vigorem reſtituerentur; vel ut pravæ nonnullæ præter Legem *conſuetudines*, & *Perſonales Abuſus* tollerentur; vel, quod Ipſe forſan aut alii detrimentum Publico tuliſſent, reſarciretur; vel, ut æque mihi hujuſmodi conditiones deferrentur, propter quas, (cùm illis cordi eſſe intelligerem Coronæ Meæ Privilegia) multo facilius inducerer ad iis Rogationibus acquieſcendum, quæ ita populi Bonum ſpectabant, ut me non admodum minuerent, quem *Lex*, *Natura*, R*atio*, & R*eligio* primo loco jubent *ſervare*; ſine quo, impoſſibile eſt Populum meum (prout Muneri meo par eſt) *conſervare*.

Illud ſaltem ſperabam, in iis quæ prave admiſſa fuerant vel in *Eccleſiaſtica* Re vel *Civili*, tam moderata futura *Reformandi* ſtudia, vt *Fundamentum* & *Eſſentia* utriuſque Regiminis integra & ſalva manerent; haud verò ita utrumque conquaſſandum ſimul, & convellendum, nullâ prorſus ratione habitâ vel Legũ jam obtinentium, vel Pietatis & Prudentiæ ſuperiorũ omnium *Conventuum*, vel Antiquæ & univerſæ Praxeos *Chriſtianæ Eccleſiæ*, vel quæ ad Jura ſpectant & Privilegia *Singularium*: cum interim loco Illius, quod *abolendum* erat, nil omnino *reponendum* curarent, quod vel prioris Inſtituti bonum *Finem* attingeret, vel *Defectus prætenſos* suppleret, vel *Abuſus* reformaret, vel, Cordatis hominibus ſatisfaceret, qui non verbîs Phaleratis & mollibus, zelum

quendam ſingularem & pietatem crepantibus, ducuntur, ſed id ſerio expetunt ſcire, quàm ſolidis Argumentis, & vivis rationibus tùm *divinis*, tum *humanis*, tantarum *Novationum* præceps Impetus & neceſſitas poſſit ſuſtentari.

At in iſtis quidem *Propoſitionibus* animadverto hujus generis perpauca vel in hunc prorſus *finem*. Nil in Legibus *luxatum* quod hîc volunt *reſtitui*, nulla Juris alieni uſurpatio abdicanda, nulla Juſtitiæ obſtructio *removenda*, nulla omnino Injuriarum *Compenſatio*, vel quicquam æquæ hujuſmodi Reformationis rogatur, cui vel *Ratio* vel *Religio*, vel *Prudentia Politica*, vel Humanum quodcunque Argumentum ad annuendum impellat.

Quod vero ad ſummam eorum attinet, quæ diverſis temporibus perhibita, nova maximè & difficilia videbantur, id demum perſpexi, ea, quæ olim in Regno *ſeditiones* & Eccleſiæ *Schiſmata* habita ac legibus propterea obnoxia, jam eò uſque fiduciæ perveniſſe (vulgi ſcilicet clamoribus & auxilio præcipuè propugnata) ut non ſatis habeant, ipſa, cum *vanitate* ſua, *novitate*, *confuſione* tolerari, niſi hoc inſuper requirant, ut Leges omnes contra Illos abrogentur, quin & Regimen Illud *extirpeur*, cujus Jura jam quærunt invadere.

Hoc ad ſummum eorum quæ petunt: Cætera ferè ſunt chartæ *ineptæ* & ſupervacuæ, in quibus iſta involvunt ideo, ut honeſtius paulo afferantur.

Mihi

Mihi vero haud perinde admirationi diverſitas iſtarum aut deteſtanda novitas,cum nil ſit adeo portentum,in quod aliqua Phantaſia non pruriat.

Illud penitùs obſtupeſco, quâ tandem ratione contingeret,ut Articuli iſtiuſmodi ſub *Vtriuſque Conſeſſus* nomine P*arlamenti* Anglicani exhiberentur , cùm id certò affirmaverim vix eſſe quartam partem *Membrorum utriuſque Ordinis* qui ſeorſim ſinguli & liberi tam pernicioſas Mutationes in *Eccleſiaſtico Regimine* vel *probare* poſſunt , vel *expetere.*

Quin id etiam perſuaſum habeo, reſtare etiamnum in Majori Parte utriuſque *Conſeſſus* (modò *Libertas* illis ſua & *Numerus* conſtet) eam *ſcientiam*, R*ationem*, *Pietatem*, & *Moderationem* æquanimem , ut ipſi ſatis diſcernant , quid recto rerum *uſui abuſus*, quid primæ I*nſtitutioni*, *Corruptio* , quid ipſi Re*gimini* , *navi* Re*giminis* , quid Archetypo E*xemplari*, poſteriorum *errata* , & *mendæ* interſint.

Certè haud credibile erat,nullis ita vel tam levibus argumentis in contrarium adductos ita penitus renunciâſſe omni legum quæ jam vigebant reverentiæ,vel pietatis Majorum Reformantium,vel florentiſſimi priorum temporum Regni hujus & Eccleſiæ ſtatus ſub præſenti illius Regimine.

Mira tamen neſcio quà fatalitate , quid per abſentiam , ſilentium , incuriam ſupinamque & ſtupidam credulitatem , (qua nimis faciles nonnulli , zeli omnia & Reformationis fuco

 tincta ,

tincta, ut ſinceram pietatem agnoſcere) abripi ſe utcunque patiebantur communi torrente, qui ex hoc (velut primo fonte) ſcatet *Populari Tumultu* & *Clamoribus*, unde haud mirum animos & vires creviſſe nefariæ eorum ſedulitati, qui omni arte & induſtriâ ex præſentibus diſſidiis *Innovantia* ſua conſilia promovebant.

Hæc propoſitionum *Agmina* (cum nec tantillum (meo Judicio) Rationis, Juſtitiæ, Religionis ex eorum parte militaret, ut quæ a Turbis & factionibus inchoata) jam nec ſolitaria incedunt, ſed *alio* Militum *Agmine* ſuſtentantur; quorum iſtud utcunque contra Perſonam meam invaluerit, haud tamen à prioribus illis me expugnari patiar, ulterius quàm cauſam video non enim Manu hîc & Numero agendum eſt; ſed Juſtitiæ & Rationum ponderibus.

Enimvero, ſi uterque Conſeſſus, pupillatu ſuo depoſito, emancipaſſet ſe ſtrenue ex hoc Tumultuantium Patronatu (qui nil aliud prorſus ſunt quàm Canes quidam venatici ſtantes aure arrecta ad eorum hortatus, qui cum Regni & Eccleſiæ pernicie privatos ſuos fines & Conſilia perſequuntur) vel, ſi hoc mihi ſemel perſuaſum fuiſſet, eſſe hæc poſtulata ex pluribus eorum ſuffragiis, qui non minore *Libertate* utuntur quam *Iure* ſedent; forte etiam judicium meum ſuſpicari poteram, ſi minus plene & alacriter ad eorum ſententias accederem.

Supereſt enim mihi *Charitas* quâ credam

eſſe

eſſe aliquos inter Illos prudentes, quin & *humilitas* etiam quâ agnoſcam me Prudentia eorum in nonnullis & egere poſſe, & uti oportere, cùm hoc fine eos omnes ad hunc *Conventum* vocaverim: nunquam tamen illis concedam ita conſummatam ſapientiam,& ab erroribus ſecuram, ut meipſum velim excludere: cum nemo prorſus ſit eorum, cui incumbit, vel *Perſonam* tantam agere, vel illam *Fidem* liberare, vel eandem mecum *Fortunam* & *Honorem* tueri: atque adeo nulli valent ſine Rationis meæ concurſu (qui non ſecus ac ſol in Naturalibus neceſſariò hîc debet influere) ullum Actum *Perfectum*, & *Publicæ Prudentiæ Authoritate veſtitum* (quo Lex ſcilicet conſtituitur) generare unquam vel producere.

Mihi vero haud certius conſtat de iniquâ abſurditate quarundam ex his *Propoſitionum*, quam illud valdè exploratum habeo, nequaquam hîc libera fuiſſe, & conjuncta *Vota* Majoris eorum Numeri qui hîc jure ſedent, & ſuffragantur..

Plurimæ enim ex iſtis, ſpecie licet *Reformandi* prælatâ, *fermentum* illud *vetus* redolent, eorum ſcilicet *Novatorum*, qui ſub duobus *Deceſſoribus* Meis, Principi ſimul & Parlamento negotium faceſſebant, & ſubinde minabantur: quo,licet vulgus ſtatim Morbum haurire potuerit, haud ita frequens unquam infecta fuit Nobilitatis Maſſa, cæterique ex Equeſtri ordine, atque adeò haud ita derepentè poterat in Majorem utriuſque *Domus* partem il-

labi,ut ſic unanimi voto conſpirarent tot enormes,& plenas periculi in *Eccleſia* & *Regno* Novitates, omnes Praxi ſuæ, Judicio, Educationi adverſantes invehere.

Neque vero me fugit, adſcitos in hunc Ordinem plurimos impetu & ſtudiis Popularium: quorum nonnulli nil ardentius ſitiebant,quàm ut offenſas quas in Me vel in Aulam Meam,vel Clerum conceperant, acriter omnes ulciſcerentur: nulla tamen ratio permittit,ut immenſam hanc & ſubitaneam *Novandi* cupidinem, ultra quàm Paucis Illis imputem, qui ſe Turbâ hac *Multicipiti* & *Multimanâ* armârant.

Eadem interim me Ratio hortatur, Honoriſque ſimul & Incolumitatis Reſpectus *Eccleſiæ* & *Regno* debitæ, ut ejuſmodi mihi *buccellas* oblatas lente prius *manducem* quàm in *Stomachum* demittam: Sin conſcientiæ meæ *anguſtia* impediar, quo minus eâ quâ alii facilitate deglutiam hos in Deum & homines ſacrilegii & Injuſtitiæ *Camelos*, nulla cauſa eſt cur expoſtulent haud æquè vaſtum mihi *guttur* ac illis patere; Id Deo juvante fixum manet,nulla vel perturbatione, vel pervicaciâ, vel contradicendi libidine, vel inani *Negativæ Vocis* oſtentatione ita tranſverſum actum iri judicium meum, ut ſim *voluntati* meæ obſequuturus, quicquam unquam negando,quod *Conſcientia* mea & *Ratio* negare vetuerit.

Contra,nulli unquam rei ultrâ aſſentiar,niſi in quantum eâdem *Ratione*, *Iuſtitia*,*Honore*, & *Religione* perſuadeor, futurum in Dei Glo-

riam

riam, Bonum *Eccleſiæ*, *Populique* ſalutem & Pacem.

Satisfacere quidem conabor *Parlamento* meo & *Populo*, ſed ut ulli unquam *Factioni* quantumvis potenti gratificer, nec metu ſubigar nec adulatione. Hoc enim eſſet, detrimento Corporis, morbum alere.

Cæterum, licet fides multorum,& prudentia deterreantur, quo minus liberum illud mihi & fidele Conſilium (quod & poſſent alioquin & vellent,& quo carere jam poſſum, impertiant)nemo tamen efficiet, ne Sapientiam implorem *Admirabilis* Illius *Conſiliarii* qui & optima dictare poteſt, & cor meum ad obſequendum inflectere.

O Tu Prima & Æterna Ratio, *Cujus ſummæ Sapientia omnipotentiâ armatur, inſtrue Famulum* Tuum *clara primum patefactione Veritatis*, Rationis, *Iuſtitiæ in intellectu* Meo, *deinde ſic voluntatem & adhærendi propoſitum confirmes, ut nullo terrore, vel injuriis, vel quacunque vi adhibita, cogant me* Inimici *mei in eas unquam* Regulas *peccare, quas tu per eas Conſcientiæ Meæ implantaviſti.*

Non me ideo Regem *feciſti,ut minor eſſemHomine, nec auderem* Etiam meum *&* Non *prout cauſam video, profiteri, quæ libertas nec vel Infimæ Creaturæ denegatur,cui vel uſus* Rationis *ineſt. & facultas loquendi.*

Mihi ergo ſoli in crimen cedet,quod in aliis veracitas

racitas, & Conſtantia laudabilis.

Vides (Domine) quàm pravis ſtudiis, & quâ iniquitate illam mihi Regi *ſuo libertatem negant, quam* Tu *omnibus dediſti, quamque ipſi pertinaciter ſibi vendicant, cum ſint ita valde ſolliciti, ne in minima quaque parte Privilegia ſua lædantur.*

Ad te ſupplex confugio, qui ſolum Regulâ *non errante ducere nos potes & dirigere per ambiguos Labyrinthos cogitationum noſtrarum, & quæ ab aliis difficilia proponuntur, quæ, non ſine cauſa, ſuſpicor ultro mihi objecta ut laqueos, ut, ſeu aſſenſerim illis, ſeu negaverim, iis uſque anguſtiis conſtrictus hæream, queis animæ meæ inſidiantur.*

Dirige Domine in conſpectu tuo viam meam. Ne vitioſi mei affectus & perturbationes divertant illa unquam aut obnubilent, quæ â ſancto tuo ſpiritu ſuggeruntur.

Sit Gloria Tua, finis meus: Verbum Tuum Re*gula Mea: & Tua fiat Voluntas.*

Omnibus placere non poſſum; quibuſdam placere nil moror. Fœlix eo ſim, ut tibi placeam; haud magnopere metuendum, ſi cui alii diſplicuero.

Tu qui Mundi Sapientiam ſtultitiam facis, & comprehendis in Conſiliis ſuis qui ſibi Sapientes videntur, me veritate tua Efficias, in Honorem Tuum, Regnorum *Meorum Bonum Publicum, & Animæ meæ ſalutem ſatis ſapere; atque haud ero valde ſollicitus quid à Mundo exiſtimer vel in quo Numero habear.*

Quo mihi minus prudentiæ velint tribuere, eò magis demonſtrabitur tua me Sapientia gubernans,

nans, dum nil dignum concedi pervicaciâ aut affectu degenem, & nil etiam quod merito negari debet, metu hominum concedam, aut adulatione.

Ne me in crimen illud patiaris vel infortunium labi, ut (vel ſponte, vel temere) cujuſcunque hominis Conſilia Bono Publico injuria promoveam, dum aſſenſu meo rata faciam.

Sed nec moroſo unquam & perverſo diſſenſu, obſtem Bono Publico, aut fraudem faciam.

Dones me illa Charitate humili, ut eorum etiam ſequar Conſilia cùm expedire in Publicum *videantur, quorum in me animi benevoli perexigua argumenta reperio.*

Tibi juxta facile eſt honeſtis erroribus benedicere, ac fraudulenta conſilia diſsipare.

Cum de omni verbo malo & otioſo ratio reddenda ſit ad tuum Tribunal*, fac (Domine) ut ſumma prius curâ adhibita prodeant hæ Sententiæ meæ, &* Declarationes ſolennes *ut quæ ſint maximè in* Publicum *vel Bonum, vel Malum valituræ.*

Quo minus iſti quid petant cogitaverint, eo impenſius me facias quid reſpondeam, ſollicitum.

Sint licet graves Meæ, & populi miſeriæ, & pax omnis futura gratiſsima, nunquam tamen permittas (Domine) ut vel minimo Conſcientiæ impendio, vel illas unquam effugere, vel hanc velim comparare, cum Tu meritò plus Illius, quam ego Dominus.

12. *De Rebellione* Hibernica.

MOtus illi in *Hybernia* tam repentini erant & tanto impetu, ut difficile ſit vel Principia eorum diſcernere, vel præcipitatæ jam Rebellioni remedium applicare.

Revera *mare* illud *ſanguinis* ſummâ illic ſævitiâ & immanitate fuſi ſatis eſt in æternum obruendo omni ſimul calamitate & dedecore, quemcunque Deus deprehenderit vel malitioſum Authorem, vel omninò Incentorem extitiſſe.

Accedit verò mihi infæliciſſimè, ut hinc etiam quorundam Malitia in me telum arriperet, qui cum ſatis impudenter mihi quidvis imponere parati eſſent, hâc libenter ſunt uſi *occaſione ſanguinaria* quò me illâ aſpergerent, cùm id facinus eſſet proculdubio à quo Ipſe maximè omnium abhorrere debeam, ut pleno in Deum ſceleris, in me, perfidiæ, & in ſubditos ita exitiali.

Ægrè tamen ferebant nonnulli, parum ſibi fidem abhibitam affirmantibus, quicquid ab

Hyber-

Hybernicis perduellibus actitatum, me Conſcio ſaltem fieri, ſi non meo *Mandato*. Qui ſic me calumniantes ſatis prius edocti erant haudquaquam novum eſſe ſubditis meis non ſolùm abſque *Mandato*, ſed etiam contra Imperium meum, tum perſonam etiam pugnare, jactantes interim, ſe hoc Mea Authoritate, & pro mea incolumitate ſuſcipere.

Vtinam Populo *Hyberniæ* nihil eſſet quod ex iſtorum exemplo allegaret, quorum certè major culpa eſt, quâ *Proteſtantium* doctrina magis omni in Principes Rebellioni, quàm *Papiſtarum* adverſatur. *Recta* ſit quantumvis *Intentio*, nec ſcandalum excuſabit, nec exempli contagium.

Sed hoc Illis frequens. Qui officium in me ſuum neglexerit, mihi ſtatim vertit vitio: hunc mihi ſemper honorem Hoſtes mei detulerunt, ut multum infra me cenſuerint modicas Injurias, in quibus ſcilicet haud ſatis clarum mei ſpecimen edatur, vel quid *pati* ab illis poſſim, vel, quid Illis *ignoſcere*.

Exquiſitâ ergo virulentia, *Calicem* mearum Afflictionum *Felle* & *Aceto* Falſitatum & Ludibrii miſcuerunt, inter alia mendaciſſima illud etiam objectantes, unde maximum in me damnum & infamia redundavit: quod eâ faciunt cauſâ, ut cum facinorum ejuſmodi (quod omnis Ratio, Religio, & Politica Prudentia deteſtanda mihi maximè jubeant) particeps credar, tanto barbarus magis & inhumanus coram Mundo appaream

Mon-

Monſtrum nempe quoddam *Cyclopicum*, cui nil aliud in *cibum* & *potum* ſufficiat, quàm *Caro* & *Sanguis* Meorum Civium; cum quibus ut agatur proſperrime, plus certè in Rem meam conducit, quàm his expedit hominibus omnia turbare: qui revera rem ſuam agere niſi in turbidis Temporibus non poſſunt, & tum demum callidiſſimè ſe egiſſe arbitrantur, cùm infælicium eorum eventuum (quibus ipſi oblectantur maximè, & non minima Cauſa extiterunt) invidiam in alios tranſtulerint.

Sane ita prudentiores arbitrantur præpoſterum illum rigorem, & iniquam ultra modum ſeveritatem quam nonnulli præ ſe in *Anglia* ferebant, haud minimum his *fomitem* ſubjeciſſe, dum ſuperiores irarum *ſcintillas*, (queis non deerat in *Hybernia præparata* Rebellioni materia) in horribilem illam *flammam* excitârunt: cum, ſatis jam exacerbatis animis, accedente deſperatione, & ad cæteras graves moleſtias Extirpationis terrore, haud difficulter irritarentur ad apertam defectionem ſatis per ſe prompti in violenta erumpere, tum Religionis ſuæ quibuſdam *Maximis* incitati, tum naturali libertatis deſiderio, ut à præſenti ſe jugo eximerent, & futuræ aſperitati obviarent, quam imminere ſibi clarè perſpexerant, ab avaro eorum zelo & iniquiſſimo furore, qui id multum pro Veritate Religionis ſuæ facere exiſtimant, ſi non aliam præter ſuam patiantur.

Deum

Deum teſtor, me quemadmodum verè poſſum *lavare Manus meas in Innocentia* quod ad crimen hujus attinet Defectionis, ita lavare etiam poſſe & *lachrymis* ex triſti ſenſu meo, cum ſic diffuſam viderem, & omnia vaſtantem, idque eo præſertim tempore, cum propter diſſidia, & ſuſpiciones in *Anglia*, eſſent potius homines de Salute ſua, & quos hic fines agitabant, ſolliciti, quàm de iis ſuppetias ferendo, qui inhumane quotidie in *Hybernia* trucidati: quorum *ſanguis* & *lachrymæ* ſatis quidem per ſe fuiſſent, ſi non omnino *extinguendis*, at ſuffocandis paulisper & reprimendis Civilium diſcordiarum *faculis*, quas ita ſedulo nonnulli ſpargebant.

Vtinam triſtis hæc *Hyberniæ* conditio nemini minus quàm mihi doluiſſet: ultro illuc depoſcebam proficiſci, ſed timebant nonnulli, ne vel unum Mihi eſſet Regnum tranquillum: aut id ſaltem dedignabantur, *Inferiorem Me Scopum* ferire, aut Internecionis Meæ Gloriam aliis concedere. Acceptaſſent modo quæ propoſueram, fuiſſet proculdubio nec tam gravis Ruina, nec tam diuturna Calamitas, nec Remedia tam penitus deplorata.

Proximum ergo, ab ipſis Rebellionis Illius Authoribus, Eorum crimen eſt; qui, vel per domeſticas ſeditiones obſtabant, ne mature occurreretur huic Malo, vel Auxilia intervertebant, vel ipſos poſtremo Rebelles

les ad deſperationem agebant extrema omnia minantes, non iis duntaxat, qui prima Belli Hujus Capita, & Faces fuerant, ſed ipſi Genti Univerſæ, obſtinati, omnes ſimul, viros, fæminas, infantes, *Germen & Radicem* perdere: nulla eorum ratione habitâ, quæ argumenta plerumque in Miſericordiam valida, quæque à propriis pectoribus ſuggeſta ſatis audiunt illi Victores, quos non omnis Humanitas deſeruit, ne ſæviant videlicet in Illos, quos è facie miſerabili agnoſcas plus à malis ſuis propriis, quàm malitiâ ſtimulatos: vel qui ſexu aut ætate imbecilli nec contra manum levare, nec inter *dexteram* & *ſiniſtram* diſtinguere potuiſſent. Quo quidem præpoſtero, & minimè omnium Euangelico zelo illos potius imitantur à *Servatore* noſtro reprehenſos *Diſcipulos*, qui, quòd à paucis excluſi aut neglecti fuiſſent, haud mitius quam Igne cælitus totas Vrbes hauſturo, vindicandam hanc Injuriam cenſuerunt; vel Illos filios *Jacob* à Patre cum execratione increpitos; cum Illa potius aſpera & extrema optarint, queis ad præfractam deſperationem redigantur homines, quàm moderata remedia, adhibere, qualia eſſent, nonnullos in exemplum caſtigare, alios veniâ ſupplicantibus ablatâ, armis exuere & in poſterum tutos præſtare à Gentilium ſuorum furoribus, qui eodem ſecum flumine natare recuſantes prompti nimis eſſent ſubmergere.

Eſt

Eſt autem quoddam *Zeli* genus cui clemens æquanimitas *Tepor* eſt, quique immanem ſe haberi, quàm frigidum malit: quanquam crebro etiam hi homines (quicquid ſimulant) plus *pellis* ſuæ cauſâ urſum, quam *maleficii* occidant, cum ſit his *præda fiſci* charitate illâ potior quæ aut vitas conſervat aut ſanat errores.

Cùm ergo in *Hybernia Proteſtantibus* prævalente efferatorum hoſtium numero oppreſſis & novâ indies ſtrage cumulatis omnia auxilia vel negata eſſent, vel intercluſa, id mecum ſedulo agebant, & enixe hortabantur omnes ferè in illis locis *Proteſtantium* primarii, ut Armorum aliqua ceſſatione facta ſpacium illis reſpirandi efficerem, ſine quo vix poſſe credebant abſque miraculo quæ ſuperfuerant reliquias ſervare. Deus novit quam tenero animo, & quàm ſollicite hoc negotium curaverim, idque per viros *Honorabiles* & ſpectatæ integritatis, ut nec Rebellibus creſceret audacia, nec qui in officio manebant *Proteſtantium* fides & patientia frangeretur.

Cum vero hoc commodiſſima (qua licebat) ratione, in hâc rerum anguſtia, & difficultate perfeciſſem, jam mihi nova de integro ſubeunda infamia, quod non paſſus ſim perduelles exiguum illud quod erat reliquum *Proteſtantium* devorare.

Arbi-

Abitrabar quidem & meritò, ſpacio hoc & mora Belli, haud ita quicquam acceſſurum Perduellium partibus, quàm Saluti & Paci *Proteſtantium* tum in præſens, & in futurum conſultum: quod proculdubio fuiſſet, ſi durante *Induciarum* tempore, cordi magis nonnullis fuiſſet afflicta *Hybernia*, quò illa ſtudia deponerent, quæ tam impenſè promovebant, qui dexterius multo *Sanguinem emittere*, quàm fluentem *ſiſtere* callebant.

Vt ut verò ſiniſtre noſtra omnia recepta fuerint, (in quibus (neſcio quomodo) procliviores ſunt homines quod falſum & deterius eſt credere, quàm, quod verum & bonum diligere) ut nullum ſupra me Judicem præter Deum, agnoſco, ita magno mihi ſolatio eſt, quod ad Illius *omniſcientiam* appellandum habeam, qui non ideo *Innocentiam* mihi aufert, quia, ut olim Sancti ſui *Iob*, Patientiam meam hactenus experitur.

Satis mihi abunde eſt, ſi conſcientiæ meæ proſpiciam, fidemque meam in *Commiſſo*, ut Regi, liberem: quod ad illa convitiorum examina, quæ ex ore quorundam & pectoribus, non ſecus ac fumus è fornace & ſcintillæ evomuntur, vix iis vacat attendere, nedum prolixis Apologiis ſatisfacere conari, Illis præſertim hominibus, qui Abyſſi Improbitatis ſuæ conſcii, ægre quenquam ſeipſis minus Improbum agnoſcunt.

Regium

Regium eſt, benè facere, male audire, Illud faciam modo, hoc feram libens. (Deo gratias ago) patienter audire poſſum etiam quæ mihi affingunt Inimici deterrima. Spero quoque me plus boni facturum, quam aut merentur Iſti, aut cupiunt.

Olim (credo) manifeſtum fiet, eos qui cætera mea Regna turbare cæperant, reos eſſe magnam partem etiam horridi iſtius in *Hybernia* cruoris, ſi non quâ primo fuſi, at quà tardè repreſſi.

Quem certè (quicquid ipſi dicant vel ſentiant) non aliter accipio, quàm è venis meis hauſtum tantum ſanguinis, cum nemo prorſus, ſat ſcio, plus hâc effuſione debilitetur. Quanquam verò inſatiata ſit hominum ſævitia, ſpero Dei miſericordiam Juſtitiæ Ipſius aliquando dicturam, *ſufficit*, & Civilium Bellorum *Gladium* in vaginam ſuam recondi juſſuram, cum miſericors Illius Juſtitia non perniciem noſtram velit, ſed Medicinam: ut ſit ſcelerum diminutio, non gentis excidium.

Prævenias nos (Deus Meus) repetitis tuis Miſericordiis, queîs Ego & Populus Meus ſumus valde abuſi, nec, ut unquam reſtituantur, mereri poſſumus.

Vides quanta inter Chriſtianos immanitas ſub Religionis ſpecie exercetur, quaſi Chri-

ſtianis

ſtianis eſſe non licuerit, niſi nos ſic mutuo cruci-figeremus.

Quia virtutem Tuam non dileximus, nec charitatem exercuimus, Tu ſpiritum Erroris & Acerbitatis, Mutuique & feralis odii inter Nos exoriri permiſiſti.

Ignoſce (Domine) in quo peccavimus, & quæ perpeſſi ſumus, ſanctifica,

Qui per ingentia peccata cecidimus, liceat ex pœnitentia exſurgere.

Ne tibi parvæ videantur quas Ego & Regna mea ærumnas pertulimus, ſed peccata noſtra reddas conſcientiis noſtris qualia in ſpeculo Iudiciorum Tuorum exhibentur, conſpicua: haud enim parva delicta tam atrociter ſoles caſtigare.

O ergo pro magnarum Tuarum Miſericordiarum multitudine, ignoſce peccatis noſtris, & Iudicia Tua removeas vehementer multa, & gravia.

Premant tamen Nos uſque peccata noſtra, grauius ſaxis quàm Iudicia, fac nos magis in reſipiſcentiam, quam in liberationem geſtire; Da nobis inprimis pœnitentis Conſcientiæ pacem, & tranquillitatem deinde in Conjunctione Regnorum.

In ſervatoris noſtri ſanguinis Mari, obruas precor peccata noſtra, & per Rubrum hoc noſtri ſanguinis Mare, ad ſtationem aliquam Pietatis, Pacis, Affluentiæ perducas.

Vt pro Publico Meo Munere, quo omnes contingo, Populi mei perpeſſionibus conſocior, ita

faxis

ſaxis eo ſenſu eorum efficiar, qui Chriſtianum Regem deceat & Patrem Populi Amantiſſimum.

Probra illa & injuſtæ in me ſparſæ calumniæ, ſint mihi lenis inſtar ſpiritus qui miſerationem meam accendat: Da prunas ardentes charitatis ſuper caput eorum coarcervare; ut ab illis colliqueſcant qui malitia aut crudeli Zelo acti vel accenderunt has flammas, vel extingui vetuerunt, quæ ſic tria mea Regna devaſtarunt.

O ſubvenias & liberes miſeros illos in Hibernia Proteſtantes quos tu hactenus ſervaſti ſuperſtites.

Et duc eos in ſemitis ſalvificæ Tuæ veritatis qui aut inſcitia ſua aut errore perniciofis his Dogmatis & perduellionem ſpirantibus imbuuntur, atque hæc interim agentes tibi obſequium ſe credunt præſtare.

Sit tuæ Manus Iuſtitiæ contra Illos, qui malitia ſua & virulentia vel excitarunt Bella Illa ſæva & immania, vel illis fomitem dederunt.

Tu qui non amas perdere cum nocente innoxios, & errantes pariter cum malitioſis; qui miſertus ês Niniveh propter multos infantes, ô ne totam ſtirpem Pupuloſæ hujus & deceptæ Gentis objicias eorum furori, quos avaritia ſua facit crudeles, nec iracundiæ vehementer feroci atque adeo juſte execrandæ.

Serves, (ſi voluntas tua fuerit) etiam in media ſeveræ tuæ Iuſtitiæ fornace, ſemen Poſteritatis Miſericordiam Tuam laudaturæ.

Et age mecum non ſecundum injuſta hominum oppro-

opprobria, ſed ſecundum innocentiam manuum mearum in conſpectu Tuo.

Si concupiverim omninò, vel delectatus fuerim in hac die calamitoſa miſerabilium mihi Re*gnorum, ſi non ſerio laboraverim, & huc omni ſtudio incubuerim, ut ſanguinolenta hæc diſſidia quoquo modo prævenirem, vel componerem, tum ſit manus* Tua *contra* Me, *& Domum Patris mei. Vides (Domine) ſatis mihi inter Homines, hoſtium extare, & propterea nec opus habeo, nec revera auderem ita mihi, & *Meis imprecari, ni mihi teſtis eſſet Integritatis Conſcientia Mea, quam* Tu *(Domine) ſatis noſti, nequaquam tamen merito meo, ſed miſericordiis tuis confido. Parce Domine, ac ne iraſcaris in æternum.*

---

13. De Scotis *in* Angliam *evocatis, & eorum Adventu.*

GEntem *Scotorum* præter illa (cum Patre meo fœlicis memoriæ Communia) Naturæ, Dominii, Beneficentiæ vincula, multis etiam recentibus beneficiis devinxeram; nonnullis inter eos acribus viris & induſtriis euſque indulgens, ut viderer plus

plus illorum hominum *deſideriis* quàm vel *Rei* meæ propriæ, vel *Honori* conſulere: At jam video, è Regiâ munificentiâ *audaciam* nonnullis creſcere ultra fines Modeſtiæ & Gratitudinis, *agendi ſimul* & *flagitandi*.

Charitas mea vetat & Lex illa *Pacificationis* ne in ſuperiora reſpiciam, in quibus, procul à me abſit, ut ingratitudine cujuſquam vel inconſtantia in pœnitentiam eorum adducar, quæ in Publicum Bonum conceſſi. Faxit Deus ut in bonum cedant.

Ut verò denuò in *Angliam* Pars Illa cum exercitu rediret, nullam aliam ob cauſam, niſi ut Eccleſiam *Noſtram* ad Novam illam *Suam* formam cuderent, certè haud minus iniquum videtur, quàm, erga ſe fuiſſent arbitrati, ſi hinc eadem in Ipſos tentaſſemus.

Aliud vero quod hîc agerent, nunquam ſcivi, (miſſis illis vulgaribus *Religionis* & *libertatis* nugis) quàm ut exemplar ſuum *Presbyterale* ita recens formatum, firmius hac ratione efficerent, cum à noſtra deinde Eccleſia (vel *ſanguineo Charactere*) deſcriberetur.

Quod *Conſilium* eorum & *Finis*, an ſatis Divinæ Juſtitiæ tam violenti *Medii* uſum approbaverit, eorum Conſcientiis relinquo, qui hujus *Medii* calamitates experti, nondum *Finis* optati beneficium, vel in Hoc, vel in Illo Regno perceperunt.

Multi enim hic nodi occurrent, & non levia ubique offendicula, quæ impedient quo minus

minus Iſta (cui ſic plauditur) tanquam unica eſſet juſta *Reformatio*, Diſciplinæque & Regiminis recta *Conſtitutio*) ita ſecuro pede tranſeat, quo in *Scotia* dudum pervagata eſt, & quod nonnulli etiam in *Anglia* crediderunt futurum, cum tot è clero *Anglicano* ſeu *levitate*, ſeu *irâ*, ſeu pejori aliquo *affectu* incitati, deſerta ſua priſtinâ in *Epiſcopos* fide & obſequio, ad *Presbyteratum* omnes circumagerentur.

Mihi quidem ità videtur, eſſe hoc *Hominum ſe quærentium* & in quos *privati affectus* plus pollent quàm *Zelus* verus, & pia *prudentia*; ut aliquod exterum Regnum vel *Eccleſia* ea aliis remedia præcipiat, quæ Ipſi cum *ſucceſſu* magis quam cum *laude* uſurparunt; haud interim ſecum reputantes, idem ſæpe medicamentum pro diverſa corporum temperatura, diverſo modo operari, idque alium *ſanare*, quo alius *occiditur*.

Sed nec ullos in *Eccleſiæ Anglicanæ* conſtitutione ita *malignos humores* vel ſic tenaces compereram, ut non *Pharmaco* multo mitiori, quàm vi Armata *pellerentur*: Neque ſane ita congruum videtur Piæ *Reformationi* ut ſic ſe Gladio *incidi*, & quaſi *exaſciari* permittat, ſed ut legitimis & æquis *Diſputationibus* poliatur, eorum ſcilicet ad quos lis hæc ſpectat maximè, nec *vi* ullâ, ſed *Ratione* expugnandos.

Id vero iſti agebant, ut *Diſputationem* potiùs omnem præciderent, quàm æquam ullam & Rectam procurarent. Hoc enim ante ſtatuerant, omninò clerum *Angliæ* ad *Scoticum* Inſtar conformandum, quàm vel unquam audiretur quid vel Illì in cauſa ſua, vel contra ipſos eſſent dicturi.

Æquior utinam fuiſſet procedendi ratio. Certè *famæ* ſuæ meliùs conſuluiſſent (qui hæc tantâ vi urgent) tùm aliorum *Conſcientiis*, queis, non æquè dubia ſua expedire idonei *Milites* in acie pugnantes, quàm in docta & libera Synodo diſputantes *Scholaſtici*.

Si quidem in Re Religionis, eæ maximè veritates in Judicia & conſcientias noſtras valent, quas ſecularis violentia minimè omnium obtrudit, quæ veritatem præjudiciis infirmat & nullâ prorſus ratione uſurpari debet, niſi, cùm omnibus ad rationaliter evincendum fruſtra mediis adhibitis jam, cùm excuſari non poſſit ignorantia, pervicacia meritò caſtigatur.

Id quod nulla charitas ſuſpicetur de tot piis & eruditis *Eccleſiaſticis* in *Anglia*, qui cum ſemper educati fuerint *Epiſcopali Regimini* conformes, haud ita facilè exiſtimentur antiquæ ſuæ ſententiæ, & Praxì renunciaſſe, hoc ſolum argumento perſuaſi, quia ſic parti *Scoticæ* collibuit, ſe cum ſimili ſibi in *Anglia* Factione conjungere, ut ſummâ

mâ ope & viribus Miniſtros omnes (velut oves) in eandem *Presbyteratus caulam* compellerent; certi aliàs vel eos perdere, vel ad cutim uſque attondere gregis ſui beneficio deſtitutos. Quod ſi etiam probari poſſet *Presbyteratum* hunc *Scoticum* unicum omnium Eccleſiarum Regimen fuiſſe à *Ieſu Chriſto* inſtitutum, vix tamen &, ægrè credo probaturos, *Chriſtum* unquam in mandatis dediſſe vel his Ipſis *Scotis*, vel alii cupiam è Subditis meis, ut in quocunque Regno meo ſine meo Conſenſu, mero *Gladii* jure, erigeretur.

Satis patet in Euangelio quantam *Chriſtus* Ipſe & *Apoſtoli*, Illis, ſub quibus degebant, Principibus Reverentiam & obſequium præſtabant: An vero Ipſe vel Illi, *paritatem* hujuſmodi Presbyterorum; eâ quâ *Scoti* iſti conantur, ratione inſtituendam unquam præceperint, extra omnem (opinor) controverſiam eſt.

Etenim ſi in tali *Suprematu Presbyteratus* à *Chriſto* inſtitutus fuerit; ejuſmodi plane inſtitutum eſt, quod eſt cæteris Ejus omnibus diverſum. Imò, primus omnium & ſolus *Chriſtianiſmi* Articulus, qui tanto ſanguine Chriſtiano plantari & irrigari neceſſe habuit; in quo quicquid unquam effuſum eſt, fluit curſu longè contrario primis Illis *Chriſtianiſmum* & *Epiſcopatum* plantantibus, qui hoc ſanguine *ſuo* patienter *fuſo*, non

non *aliorum profuſo* peregerunt. Nimis verò iſtud *homines* ſapit, parùm *Chriſti*; cujus nulla omninò Inſtitutio *Ambitionis* aut *Avaritiæ* ſtimulis vel initia ſua debet vel incrementa, cùm utriuſque hîc vehemens ſuſpicio.

Nil tamen aliud afferebant hi *Scoti* quòd alicujus momenti videretur, quoties me vel armis *urgere*, vel per Delegatos *ſuadere* conabantur, (ſerio ſubinbè obteſtantes, mox, pio ſuo more minantes) quàm hoc unicum & præcipuum, Magnam jam neceſſitatem incumbere conſtituendi in *Angliâ Presbyteratus* ad vitandas ſcilicet futuras Belli miſerias, quod nonnulli hoc fine inchoatum, neceſſitatem ſibi fecerant perſequendi.

Rogo jam quid obſtabit (ſi huic ſententiæ & exemplo acquieſcendum) quo minùs omnes Sectæ, Schiſmata, Hæreſes, *Numeris* modò & *Viribus*, & *Opportunitate* inſtructa) eâdem prorſus violentiâ Inſanias ſuas erigant paſſim & ſtabiliant. Et tamen hæc *Presbyterales* odiosè exagitant, & omni modo coercenda æquum putant: cum revera id cordati homines & docti cenſeant, nulla *Schiſmatis* & *Sectæ* manifeſtiora indicia quam in hoc genus *Presbyteratu* oſtendi, tum, quòd ſecus ſit ab Antiquo & jam maximè, univerſali Eccleſiæ Regimine, tùm ab ipſis etiam in Eccleſia *Anglicana*

Conſtitutis Legibus, quæ nondum ſunt abrogatæ: nec à me unquam abrogandæ, ni argumentis melioribus Rationis pariter & Religionis edocear, quàm quæ è *pera militari* depromenda.

Deo eventum relinquo, qui ubi ſemel opinionum ſtultitiam, & impotentiam Affectuum ſuſtulerit, multifariàm poteſt inſtillare illas Veræ Rationis, & pacificæ Prudentiæ regulas, quæ ſupernè deſcendens, ad Dei *Gloriam* maximè, & Eccleſiæ *Bonum* contendit: quibus me conſcientia mea obligat eò curâ impenſiori, & ſollicito magis zelo attendere, quantò cætera Republicâ Eccleſiam, *Chriſti* Gloriam meâ *propriâ*, denique Salutem *Animarum*, omni *Corporum*, & *Facultatum* conſervatione duco potiorem.

Nefas interim (meo judicio) & improba præſumptio, ut ulli omnino mortales, in *Eccleſias* meæ fidei, & tutelæ concreditas, *Formas* has ſuas & fabricas, ſuo fictas arbitrio, & ad fines ſuos accommodatas *vi & armis* conentur inducere, nec conſenſu meo impetratâ, nec vel Mea, vel aliorum conſcientiis ullâ vi Rationum expugnatis.

Quod ad cæteros Illos Turbidos Motus, qui nec *hominem* nec *Chriſtianum* nec *fidelem ſubditum* deceant, nullius apud me unquam momenti erunt, vel ad *confirman-*

dam

dam mihi Religionem, vel quacunque in parte *labefactandam*: nec arbitror futuros apud quenquam alterum, qui ſaltem norit quid ſit Religio, & quàm abhorreat factionibus, quibus machina una & Organum, Vis eſt: *belluarum* arbitratrix non *hominum*, nedum *humilium Chriſtianorum*, & Subditorum Fidelium in re præſertim *Religionis*.

Sed ita inflari plærique faciles, & magnificè de ſeipſis ſentire, ut ſint parum ſolliciti, quid in Dogmata ſua & placita impendant, maximè ſi ſpes aliqua lucri oſtendatur, quo cætera damna, & pericula compenſent.

Haud vero magis ſum offenſus *Scotorum* Armis, qui ſic Regnum meum, me invito intrabant, ruptis omnibus *officii*, & *gratitudinis* vinculis, quàm ſum illos hîc noſtros admiratus, potuiſſe ſcilicet in tantùm Divino Auxilio diffidere, qui ita *Dei cauſam* venditabant Populo, tanquam certâ *Revelatione* Divina confirmati, ii præſertim, qui jam ſatis ſuperque inſtructi erant Armis Civium, & apparatu Bellico, quibus & in Mari *Claſsis* mea & in Terra *propugnacula*, *Arces*, *Præſidia*, & tot *Vrbes* munitæ ſuperant.

Illud potius hinc colligo, homines ejuſmodi, queis ſuſpitio eſt cauſam ſuam & conſilia haud ita poſſe coram Deo probari, nunquam ſatis ſe arbitrari humanis Viribus

inſtructos, ut hoc opus ſuum, quantumvis populare, perficiant. Valde enim muniri opus habet quod nec *Religione*, nec *Lege* defenditur.

Ea tamen plærumque Inconſtantia violenta conſilia comitatur, ut quos alii ſummo opere in auxilium ſibi accerſunt, alii ſtatim pertæſi cum faſtidio quodam, & nauſea ejiciant, quod illi firmum ſibi poſteâ ſperabant, & in perpetuum figendum, accedente *Scotorum* Influentiâ, id hi penitus repudiant & aſpernantur, & una pariter totam *Scoticæ* Eccleſiæ Diſciplinam & Regimen, uno opere irrita facientes illa magis *onerosa* quam *Amica* auxilia. Poterat enim Eccleſia *Anglicana* (ſi ita viſum fuiſſet,) & Veritatem Reformati Regiminis, & Diſciplinæ (ſi defuiſſet ſœlicitatem, multo minoris conciliâſſe, ſi vel optimos in *Europa* Theologos ſuo ſumptu invitaſſet in plena & *Libera Synodo* conſultaturos; quod me libente & cupido facturi eſſent, ut ſic rebus ſine ſtudio compoſitis, ſatisfactum magis omnibus foret & diuturniùs manerent ſtabilita.

Sed omnino aliter fieri non poteſt, quin patefaciat ſe tandem Divina Juſtitia, & hominum fatuitas, per prætextus illos omnes & Religionis velamina, quibus improbi Politici arcana ſua conſilia involvunt, fruſtra enim ſperatur, inædificari pietatem his Fidei in Principem & obſequii Ruinis. Nec durare

durare diù poſſunt iſtiuſmodi Molitiones, cùm verſuram Fidei ſuæ faciant ſubditi, ut quæſtuoſius Religionis artificium inſtituant.

Cæterum, ut pars optima in *Scotia* me nunquam deſeruit, ita nec plæroſque eorum (credo) tam longè à me diſceſſiſſe, & inſtar *prodigi illius* omnem in me amorem & reverentiam *conſumpſiſſe*, ut de reditu eorum deſperem, cum, præter illa Naturæ & Conſcientiæ (quibus omnes tenenrur) vincula, ratio illos & prudentia docebit, etiam Corem ſuam ſic meliùs ſtabiliri poſſe, ſi Coronæ fidi permaneant, quàm, his populi partibus ita in præſens Commodum obſequentes, ut Salutem meam & Honorem negligant omnino, vel prodant. Quanto minùs interim cauſæ eſt credendi Hominibus, tanto magis me Deo applicabo.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt; de neceßitatibus meis, erue me.

Dirige Servum Tuum in ſemitis piæ illius ſimplicitatis quæ omni alia Politica *præſtantior.*

Libera me à complicatis eorum viribus, quibus tantum ineſt ſerpentinæ aſtutiæ, ut innocentiam Columbarum obliviſcantur.

Etiamſi manus ad manum fuerit, non prævaleant in animam meam, in Conſcieniæ meæ & Honoris proditionem.

Tu (Domine) potes inflectere utriuſque partis corda in utraque Gente, quod feciſti olim hominibus Judah *&* Iſraël *ut eo* David *reſtituerent fideli ardore, quo illum nuper levitate, & impetu fuerant perſecuti.*

Cuſtodi mihi Amorem Veritatis & Rectitu*dinis, nec deſperabo de ſubditorum affectibus in Me quandoque redituris.*

Tu maria exundantia reciprocari, & retro cogis concedere intra fines à Te præſtitutos.

Deus Meus In Te confido, ne erubeſcam, ne irrideant me Inimici mei, non gaudeant ſuper me, non de me jubilent.

Confundantur omnes iniqua agentes ſupervacuè, revertantur quærentes animam meam.

Integritas & æquitas cuſtodiant me, quia Te exſpecto Domine.

Libera Eccleſiam Tuam *(Domine) ex omnibus ſuis anguſtiis.*

14. *De*

14. *De* Fœdere.

SCoti iſti Presbyterales haud vulgari Auxiliorum ſtipendio invitandi, nullo alio pretio in partes trahuntur quam animarum pignore poſito, Ipſis ſcilicet qui illos evocabant, Solenni *Pacto* & *Fœdere* conſtrictis.

Multæ hic piæ Machinæ, & Religioſi prætextus afferuntur ad oppugnandum *Epiſcopatum* vel prorſus demoliendum. Hunc nempe Grandem Illum *Cacodæmona*, quem (terriculamentis nonnullis adjectis) odio vulgi, & pavoribus objiciunt, Solenni Carmine & Exorciſmo ex Eccleſia omni modo abigendum; poſtquam eam mille annos obſederit, ex quo primò *Chriſtianiſmus* in hac Inſula plantatus, quique præſcripto Univerſali temporis ſimul & praxeôs in cæteris omnibus Eccleſiis, uſque ab *Apoſtolorum* ſæculo, ad hanc proximam Centuriam, innititur.

Sed fruſtra cauſam hic agit Antiquitas: *Presbyteriſmus* velut adoleſcens hæres, nimis diù Patrem vixiſſe ratus, & *Epiſcopalis* Cathe-

dræ, & Authoritatis impatiens; (proventus enim cedunt Laicis) omni aſtu molitur, ut *Epiſcopatu* fluctibus obruto, ſibi faciat in *Angliam* appellendi copiam, quemadmodum nuper etiam in *Scotia* eodem *Fœderis* artificio emerſit.

Quanquam plurima mihi in hoc *Fœdere* diſpliceant (in quo, ſubinde periculoſa admodùm & ambiguâ limitatione Authoritas mihi præfinitur) illud maximè demiror, quod conſilium illis fuerit in Diſciplina & Regimine Eccleſiaſtico: nec minùs hanc agendi rationem, ut *Juramentis* ſcilicet & *Fœderibus* ita Res planè Novas promoverent. Durum certè, haud minori quàm Juramenti vinculo, ut quis *in ea* obligetur, vel *contrà*, de quorum morali neceſſitate haud conſtat; ſed quæ adhuc *ſub Judice* plæraque, doctorumque & piorum hominum controverſiis agitata: in quæ, ut vel ipſi *juremus*, vel ab aliis *Jurari* exigamus, haud certè poteſt cum judicio illo & certitudine propria conſtare, nec cum eâ in alios diverſe ſentientes Æquitate, & Candore, qui Religionem decet: quæ non æquè ſolum *diſceptare* ſed *diſſentire* etiam permittit, in materiâ duntaxat probabili.

Juramenta vero Populo imponere, ut in rebus *dubiis* periculoſum, ita prorſus in *illicitis* damnabile: illic vero prorſus ſupervacaneum, ubi ſuperiora jam Legum, & Religio-

Religionis vincula, in neceſſaria officia obligarunt.

Neque video quo pacto conciliare poſſunt Innovans hoc *Fœdus*, & *Iuramentum*, cum nuperâ illâ ſuâ *Proteſtatione*, quâ tueri ſuſceperant Religionem in Eccleſia *Anglicana* Sancitam; iſtî præſertim qui Diſciplinam inter *Momenta* Religionis accenſent.

Sed nunquam nimis ſe credunt Ambitioſi homines, laqueos, & tendiculas hujuſmodi vulgi credulitati ſtruxiſſe: his enim ferè artibus, & pietatis fuco arctiùs quærunt ſibi *populum* obſtringere, metu ſcilicet *perjurii* intentato; cum revera probi omnes & prudentes, ſatis ſe jam diù ligamentis ſuis prioribus, *Religionis*, *Fidelitatis*, *Legum*, Deo juxta & Hominibus obſtrictos putarent.

Quæ quidem tanta ſunt, ut nulla *poſterior ſtipulatio*, (excogitata & imperata à paucis hominibus in aperta Factione verſantibus, abſque meo Conſenſu, & nullo ſimili Exemplo præeunte, vel poteſtate à Divinis vel Humanis Legibus derivata) ſatis unquam videatur cordatis hominibus, vel ſolvendo, vel relaxando *moralia* illa & *æterna* obſequii vincula quæ & *Deo* & *Mihi* præſtanda, ſubditorum conſcientiis incumbunt.

Nunc verò, (prout res ſe habent) minùs *Deo* & *Mihi* diſplicebunt boni Viri, ſi

Fœdus ſuum câtenus, quâ honeſtè & licitè poſſint, obſervarint, cùm, quâ ſum charitate, tales eſſe nonnullos exiſtimem, qui hoc ſolùm fine & mente ſuſceperunt, ut Religionem in *puritate*, & Regnum in *pace* tuerentur. Ad diverſos his fines & media, nulla ratio eſt cur ſe teneant obligatos; nec revera perſuaderi unquam poterunt (in quibus quicquam ſalis Cònſcientiæ) vel optima ſua Conſilia (nedum ea quorum indies Ambitio & Factio manifeſtior) per illicita quæcunque media ſub ſuſpicioſo *Fœderis* titulo promovere; niſi velint ancipites & periculoſas *Novitates* & nulla prorſus Authoritate munitas, exploratis & Juramento pactis *Deo* ſimul & *Mihi* Officiis, & nulla omninò diſpenſatione tollendis, anteponere.

Quin ad facile etiam credo & ſpero; plurimos, qui hoc *Fœdus* inierunt, in hac uſque ſententia perſtare, nullo Voto, Juramento, Pacto *poſteriori* obliterari poſſe Typos Illos, & Characteras, quos Juſta & Legitima Juramenta, *prius* animis Ipſorum inſculpſerant.

Iam verò, quod iſtas *Fœderationes* ſuſpicioni magis facit obnoxias, illud eſt communem eſſe hanc & quaſi tritam viam in omnibus *Reipublicæ* & *Eccleſiæ* Factioſis hujuſmodi Perturbationibus. Tunc enim Zeli *Forma* maximè, & exquiſitæ pietatis perſona *induitur*, cùm pernicioſiſſima meditantur

tantur *vafri* homines contra omne fixum & ſacrum in *Religione* & *Legibus*: quas his machinulis ſuis (velut cochlea quadam adtorquente *ſubtilitèr* quidem, ſed *validè*) ſenſim primò & occulta inflectione à Nota ſua Regula, & conſuetudine abducunt, ut obſequentiores deinde fiant eorum cupidini, qui ſub larva Sacrorum *Fœderum*, ſibi omnia ſubjicere moliuntur.

His tamen Funiculis & quaſi intortis viminibus haud ſperandum eſt diutiùs teneri poſſe conſcientias, quàm dum Vis illis adſit plicatrix: ſtatim enim quiſque ſibi Pontifex fit, & illa facilè ſolvit ligamina, quæ non aliquod è Verbo Divino *præceptum*, ſed *Aſtutia* Factionis, vel *Terror* indidit; quæque vel *ſuperflua* erant *priùs* obligatis, vel cum fraude & injuria *impoſita*, ſi eo conſilio *poſterius* imponi deprehenderint, ut juſtæ illæ priores & neceſſariæ obligationes, vel pro tempore ceſſarent, vel omninò diſſolverentur.

Raro certe vel nunquam id agunt Media iſta *Illicita* ut ad *Officium* ſuum meliùs adigantur homines, ſed ut *Partibus* accedant firmiores. Atque adeò parum refert, quid de piis Fœderum clauſulis *exequaris*, modò, Conſiliis & Partibus, & Principali horum Fini *adhæreas*.

Video enim, Iſtius Authores, *Fœdu* ſuum velut *Manna* objicere (non utique è Cœlo

Cœlo demiſſum) ſed in hoc non abſimile, quod ſit guſtui cujuſlibet , & Palato conforme. Suſceperis modo , quocunque ſenſu , per illos licet , ſeu *diverſo* ab aliis , ſeu *contrario* ; *cautum* ſit , *proviſum* , *reſervatum*, quod lubet , modô , ne præcipuo illi adverſeris , quod in Me & Eccleſiam machinantur. Satis habent , ſi *auctarum* ſibi (quoad ſpeciem) *Partium* opinionem acquirant. Ita parum meminerunt homines, Deo non illudi

In hoc *ſenſu latiori* , opinor, multos *Mihi* ſatis & *Eccleſiæ* benevolos in hoc *Fœdus* juraſſe qui non ea ſtultitiâ aut ſuperſtitione cenſendi , ut quicquam pietati , & fidei manifeſtè repugnans ſint propterea magis admiſſuri , qui reverâ hùc potius delapſi ſunt , ad evitandam vim & ruinam recuſantibus planè imminentem , quam, quod illud omnino æſtimarent, aut impenſius huic eſſent addicti.

In quo forſan latitudo *generalium* quarundam *clauſularum* nonnihil illos poteſt juvare : quale illud *conandi* & *agendi quod fieri poteſt* , & *pro loci & muneris ſui ratione*; atque etiam *ſecundum verbum Dei* , per hæc enim , reverâ , nulli datur licentia evagandi extra limites bonæ conſcientiæ , qui omnes fixi & certi ſunt , vel generaliter in *Dei lege* , vel ſpeciatim in *Regni legibus* , quatenus hîc particularia officia in exercitio ſuo regulantur.

Utinam

Utinam verò qui ſe jactant maximè *Fœderatorum* nomine, intra licitos illos fines ſe continerent, ad quos Deus Ipſos vocavit; certè enim nullâ aliâ ratione commodiùs expiarent hanc in prima ſuſceptione temeritatem, quæ tunc clarè fiet perſpicua, cum, (præter id, quod juſtâ & legitimâ Authoritate cujus mandato ſuſciperetur, deſtituitur) jam palam *ultrà* fines ibi expreſſos, & prætenſos, imò & *contra* etiam, procedit. Ego interim libens ignoſcam, qui in hoc *Fœdus* jurati hactenus tantùm obſervant, intra eos Legum, Pietatis & Fidelitatis terminos, qui nec detrimento ſint *Mihi* nec *Eccleſiæ*, nec *Paci Publicæ*: quibus ire adverſum, nulla vocatio legitima obligabit.

Quod ad illam *Eccleſiæ Reformationem*, (quæ ſic paſſim in hoc *Fœdere* oſtentatur) haud vel æquum vel decorum exiſtimo, ut ex paucorum Theologorum iniquiore conſilio, (qui ductili ſuo & ſervili ingenio, ad quid vis ſubditò agendum & obſequendum parati, etiam adverſus ſuperius ſuum judicium, Profeſſionem & Praxin) ita turpi probro aut ſuſpicione aſpergatur *Doctrina* & *Diſciplina Eccleſiæ Anglicanæ*; quale nunquam anteà factum audivi, vel ab ullâ *foris* Eccleſiâ (quæ *Reformata* appellari meruerat) vel *domi* etiam à candidis & eruditis hominibus, quorum omnium judicia meritò pluris facio, quam iſtorum cujuſvis factione corrupti

Nemo

Nemo certè propenſiori quam ego ſtudio, in debitas omnes *Reformationes* feretur, maturo modò judicio, & conſcientiâ bonâ ſuſcipiantur, atque in ea ſolum procedant, quæ æqua priùs deliberatione habita) ex *Dei* Verbo, & Recta *Ratione* evincentur pravè admiſſa; Hîc vero plus ultrò exhibui, quàm vel ea, quæ liberrima, pleniſſima, prudentiſſima erant *Parlamenta*, unquam adhùc expetebant.

Nimis clarè verò conſtat ex iis quæ inſequuta ſunt, R*eformationis* hujus Conſilium nihil *aliud* fuiſſe, quam ut dejecto de gradu *Epiſcopatu*, & in *Presbyteratum* commutato, fundis ſuis & reditibus ſpoliaretur Dei Eccleſia. Nulli enim hactenus magis in Legitimo ſuo Jure violati fuerunt quam *Epiſcopi*, cæterique *Eccleſiaſtici*. Hi ſtatim ut pinguiſſimæ ferarum, mactandi: Reliquus *Schiſmatum* & *Hæreſium* macer Grex tolerari haud ægrè impetrabit. Sic ob vineam ſuam *Naboth* reus factus Blaſphemiæ. Ita uſque perſpicio, utcunque vela impleverit R*eligionis* Spiritus, *Vtilitatem ſolam* eſſe *Circinum*, quo *curſum* ſuum Factioſi homines in ſeditioſis hiſce *Motibus* gubernant.

Deo Gratias ago; quanquam maximè omnium expoſitus fuerim Tentationi huic Sacrilegæ. ut *Terras* Eccleſiæ, & *Proventus* invaderem, (qui à *Coronæ* munificentia inpri-

inprimis profecti, de Illa tenentur, atque huc tantùm *legaliter* conſenſu meo poſſunt reverti) ſemper tamen ita ab his abhorruit anima mea, ut *Sacrilegis* hujuſmodi *Reformationibus* nunquam vel minimum pertentarer: illud interim vehementer percupiens, *Epiſcopos*, cæteroſque *Eccleſiaſticos* ita ſemper poſſe *Reformari*, ut, quæ Majorum meorum pia Munificentia *Deo* & *Eccleſiæ* donavit, tum quæcunque alia additamenta Chriſtianæ beneficentiæ acceſſerint, & mereri dignè poſſint & rectè adminiſtrare.

Nulla verò unquam (ut ſpero(neceſſitas Me aut *Meos* huc impellet, ut *Agros Sacerdotum* uſurpare velimus aut *vendere*, quod & *Pharaonis* Theologia; & vera pietas *Ioſephi* reſpuebat. Tam iniquum prorſus videtur Pietatis juxta, & Rationis oculo, ut munus omnium ſanctiſſimum debitis ſuis incitamentis fraudetur, & (quale illud alterius duro corde *Pharaonis*) *ſubducto ſtramine penſum augeatur*: quod fecerunt nonnulli, *perſequentes oppreſſam* Eccleſiam uſque ad *Rubrum Mare* Belli Civilis, unde ſolo Miraculo ſalvari ſupereſt, Illi, inquam, & Mihi, qui hunc maximum mihi *Titulum* & præcipuam *Gloriam* duco, ut ſim *Defenſor Eccleſiæ*, tum in vera *Fide*, tum in juſtis ſuis *commodis*, à Sacrilegio & Apoſtaſia perindè abhorrens.

Vivam

Vivam potius (cum Deceſſore meo *Henrico Tertio*) *Eleemoſynis* Eccleſiæ ſuſtentatus, quàm è *Præſulum* & *Miniſtrorum* ore Panem ſuum violenter eripiam.

Proximum huic deinde futurum eſt, ad Ieroboami modum *reformari*: ut conſecrentur è *populo viliſsimi* Sacerdotes in *Iſraël*; *aureoſque* Illos *vitulos* colant, Eccleſiæ patrimonio, & dote locupletatos; quod quam ceſſit fœliciter *Principi* Illi, *Sacerdotibus* & *Populo*, ſatis notum eſt, nec proculdubiò hîc aliter futurum, ſi qui hactenus in Tutela erant Regum & Reginarum, qui *Nutricii Patres* & *Matres* huic ſemper Eccleſiæ extiterunt, ad eorum demenſum vivendum habeant, qui jam ſatis oſtenderunt, quid à ſe *Duri Patris* quid *Malignæ Novercæ* exſpectandum.

Quod ſi paupertas *Scotiæ* crimen hîc aliquantò extenuaret, in hac tamen ubertate & copia *Angliæ* rapi ſic proventus Eccleſiæ, nullo modo excuſare licet, aut invidiam deprecari.

Ego vero nec id precari à Deo auſim, ut avertat illa à *Regno* & *Eccleſia* calamitoſa, quæ Miniſtrorum *Paritatem* & *Indigentiam* haud dubie ſunt ſecutura: cum ſic prorſus videamur vel *tentare* Deum, vel *illudere*, ea mala deprecantes quorum Cauſæ & Remedia ſunt in noſtra poteſtate: cum his *non uti* flagitium ſit, illas, non *devitare*

Abunde eſt, quo *damna* Reipublicæ ſine Ecelcſiæ *ruinâ* reſarciantur. Illius quidem libenter *Reſtaurator* audiam, haud tamen eâ conditione, ut ſub obtentu publici æris liberandi, hujus meritò dicar *Oppreſſor*. Satis erat quæ contraxit cauſa improba, hoc vero pacto diſſolvere, multo foret deterius. Deus faxit, ut nec Ego nec Mei ſimus unquam huic culpæ affines.

Ad te Domine preces meas dirigo, enixe obteſtans ut hanc ſubditis meis ignoſcas temeritatem jurandi, & acriorem in illis poſtea ſenſum efficias, quo illa juſta, moralia, nullatenus remittenda vincula à Verbo Tuo *& Regni Legibus conſcientiis eorum impoſita, accuratius in poſterùm obſervent, à quibus nulli Pietatis, aut Reformationis reſpectus ſatis erunt illos obſolvendo, nedum in Partem adverſam tranſire permittent.*

Fac ut ſeriò tandem cogitent, nil violentum, & injurium cum Religione conſtare.

Tu nullius Sacrilegium approbas, qui ſic Zelum ſuum oſtendit in deteſtando Idola.

Tu per Regum Sapientiſſimum docuiſti, laqueum eſſe homini Sanctum devorare, ac poſtea ad vota converti.

Cuſtodi Famulum Tuum *uſque, ne conſentiat in perjuras & ſacrilegas rapinas, ne ſtigma mihi*

mihi in æternum & execratio hæreat, tanquam Te & Eccleſiam Tuam ſpolianti iis omnibus quæ & Munificentia Tua donaverit, & Clementia Tua à Nobis acceperit ut Doctrinæ & Pietatis incitamenta.

Quanquàm ærario meo exhauſto, & imminutis Reditibus grande æs alienum contraxerim, haud me inde tentari permittas, ut tam profana ratione hæc damna reſarciam, ne Carbone ab Altari Tuo id in Throno meo & Conſcientia incendii excitetur, quod vix unquam extingui licuerit.

Sed nec publici nominis liberatio (quod ſtultitia quorundam vel profuſio obligavit) fiat unquam occaſio exhauriendi Eccleſiam.

Pace nos modo benedixeris, convaleſcet ſtatim Reſpublica, Haud vero Eccleſia, his præſertim temporibus, ubi charitas multorum frigida eſt, & Religio *parcè ſordida.*

Tu Tibi & Eccleſiæ Tuæ *miniſtrantibus, perpetues illa externa ſubſidia, quæ & voluntate piorum, Donantium & Legum Iuſtitia debentur: & his gratiam tuam largiaris, quo hæc poſſint mereri, & recte uti in Tuam Gloriam, & pauperum levamen, ut induantur Iuſtitia Sacerdotes tui, & pauperes pane ſaturentur.*

Sancta ne dentur porcis, nec canibus panis, circumeant potius Civitatem, fremant ut Canis, & murmurent ſi non fuerint ſaturati.

Sacras illas offas & fruſtula, quæ nonnullorum violentia devoravit, nunquam detur illis, vel poſteris eorum, concoquere. Fiant hæc illis ut

ut vinea Naboth Achabo, *fel in ore ipſorum, putredo Nomini, tinea familiis, & conſcientiarum aculeus.*

Divide eorum linguas & corda, qui ſic invicem fœderantur contra Eccleſiam, & Regnum: ut inſipientia eorum manifeſta fiat omnibus, & ultra non proficiant.

Sed propitius eſto Iuſtitiæ meæ (Domine) ut in miſericordia Altiſſimi non commovear.

15. De

15. *De* Suſpicionibus & Probris *in Regem jactis*, *quò* Populum *in illum concitarent*.

NI mea propriâ Innocentiâ, & Divinâ ope ſublevarer, ſuccumberem in hoc conflictu *Malitiæ* in me omni arte graſſantis, dùm vel falſis *Calumniis* veritatem opprimere conatur, vel fictis *Suſpicionibus*, id quod *ſolidi* defuerat, in hac improba cauſa, ſupplere.

Reverâ, quidquid contra me peſsimum aperta hoſtilitate egerunt, præ his leve eſt: multò enim *Coronas* libentior, quàm *Famam* perderem: cùm Exiſtimationem meam & Honorem etiam Regnis meis habeam potiora.

Hæc enim cum vita terminantur: *illa* inclitâ quadam Immortalitate ſuperſunt

ſunt mortuo. Cùm *Bono Nomine* ſuo, Principes velut *aromatis* conditi, æterno Poſterorum Amori & Gratitudini *conſecrantur.*

Turpes iſtæ & falſæ *Calumniæ*, occultæ primò illis Fabricæ erant adverſus Populi in Me amorem conſtructæ, ut cùm his priùs ſuffoſſis cuniculis (hoſtes *Illis* pariter ac *Mihi*) exiſtimationem meam labefactaſſent, *fides* omnium in me & *affectus* quaſi (diſplosâ Machinâ) ſternerentur.

In quo tamen, Deo gratias, haud ita vehementer afficior Honoris mei proprii jacturâ, quam flagitio illo & gravi periculo quibus animæ populi mei objiciuntur, qui hac ſemel ſuſpicionum fuligine obcœcati, facilè præceps agentur in abrupta quæcunque & atrocia; ubi, tantum abeſt ut *peccatum* ſuum & *periculum* agnoſcant, ut ſint hîc ultrò *Zelum* ſuum imputaturi, dum illis interim exhibear ita dignus *perire*, ut ipſi ambiant mereri, qui me *perdant* potiſsimum: tunc ſe *Deum timere* maximè arbitrantes, cum *Regis* omnem reverentiam excuſſerint.

Nunquam tamen propter hæc (Laus Deo) *iracundia* mihi major, quàm *miſeratio* ſuborta eſt: nec in me uſque invaleſcebat ulla animi perturbatio, ut interdiceret pro illis vel cùm tenerrimo affectu

affectu precari, quos non ſua *malitia*, ſed honeſtus *error* in piam hanc (ut putabant) Rebellionem prodiderat.

Quâ enim eram in Illos charitate, credebam, eorum pleroſque non in *Me*, ſed in meos (ut putabant) *errores* pugnâſſe, nec eo animo ut *perderent*, ſed ut *emendarent*. Spero, Dei miſericordiam veniam huic errori dediſſe, & eo uſque bonum animum eorum acceptâſſe ſimul & exaudiviſſe, ut, quemadmodum me hactenùs conſervavit, ita per hæc adverſa præparaverit, ut *illi* meliùs in poſterum ſerviam, & fiam *populi mei* commodis, quàm ſuperiùs fueram, attentior.

Nec libentiùs ignoſco in errorem ſeductis, qui ſic Fidem ſuam præpoſterè per injurias declarant, quàm verè expeto & enitar in poſterum, omni bene merendi occaſione arrepta, injuſtas *Suſpiciones* eximere, & quæ benè cogitârint, remunerare.

Nimis enim ſum affectus mei in populum conſcius, ut in Illorum de Me, mutuò, ſuſpicionem adducar, nec ulla hoſtium malitia eo me ſolatio fraudabit, quod ex hac fiducia percipio. Nunquam ita indulgebo paucorum livori, ut, quod Illi exoptant maxime, omnes inter *Obſequii deſertores* annumerem, *quos piæ hæ fraudes*

fraudes deluſerunt: quicquid prava quorundam Ambitio moliatur, haud maligniùs hinc ſubditos meos in univerſum æſtimabo, *qui errare forſan poſſunt, Hæretici eſſe non poſſunt.*

Juxta mihi ſunt acerbæ illæ ſubditis meis factæ injuriæ, ac quas ipſe graves pertulerim, cùm ſeorſim benè habere non poſſumus: in hoc deterior *eorum* conditio, quod ſeductoribus iſtis nimis creduli & *Mihi* & *Sibiipſis* fiant injurii.

Parum enim videtur Inimicorum malitiæ ut me reddant *miſerrimum*, nîſi id iis inſtrumentis efficiant, ut ſit ipſa calamitate calamitoſius, quod ab iis hæc demum perpetiar, quos *fœlices* eſſe maximè exopto, & deceptis ſerio illachrymor.

Hoc ſi Hoſtes mihi aperti & exteri feciſſent, tolerari utique potuerat, haud verò perinde levia ſunt à ſubditis meis propriis inflicta, quos à liberis meis proximè caros habeo, quibus ut tranquillitas reddatur, libenter *Ionas* forem, qui me in undas exponerem; niſi id ſatis proſpicerem divulſis magis poſtea, & diſtractis eorum ſtudiis (qui mihi pariter & illis hoſtes) tanquam tot ventis contrariis, procellam calamitatum ſævam multo potiùs quàm pacatam futuram.

G Mihi

Mihi quidem ſi optio daretur, multò malim *Ruinæ* populi obſtare, quam gaudere *Imperio*: cujus nunquam ita cupididus fui (licet jure mihi debiti) ut non potior eſſet longe ſubditorum fœlicitas, modo his unquam tanta eſſe poſſit, quæ tam improbis ſubditorum in Regem facinoribus comparari omninò mereatur.

Idem tamen malo omnes vitæ ærumnas, & multas mortes obire, quàm Juſta mea *Iura* Dominii vel unquam cum pudore *deſerere*, vel cum infamiâ *prodere*: ut, vel ſic gratam rem faciam, ambitioni, vel malitiam Hoſtium juſtificem, inter quam, & aliorum errores non inferius diſcrimen agnoſco, quàm à Febre diſtat peſtilentia; à prurigine *Novitatis*, lepra *perfidiæ*.

Quemadmodum verò mentientibus neceſſarium eſt benè *reminiſci*, ita his non minùs, benè *comminiſci*; ut ad diverſas hominum Phantaſias calumniæ ſuæ aptentur, & quod deeſt veritatis, *numero* ſaltem & *ſpecie* ſuppleant.

Plus mihi interim (Deo gratia) ad ferendum *patientiæ*, & ad ignoſcendum *charitatis*, quàm eſt *otii* quo reſpondeam ad plurimas haſce *calumnias*, queis nonnulli me falſò reſperſerunt, &, niſi multo magis ſubditis meis ſatis factum cuperem,

cuperem, quàm meipſum vindicatum, minimè hanc voluptatem dediſſem aliorum malitiæ, ut omninò, quid dixerint vel quid objecerint, me ſollicitum viderent, aut memorem.

Reliquiſſem eorum Authores, ſuâ olim Improbitate & Cauteriatis Conſcientiis puniendos, quæ nigra *illa* & falſa quæ in me jecerunt *Scandala* ſatis ipſæ refellent & ulciſcentur, atque id Orbi tandem perſpicuum facient, juxta parùm verè excogitata, & indigniſsimè ſparſa, quàm nulla curâ *humanitatis* (quid enim dicam *Officii?*) ab iis minime coërcita, quorum fides (credo) & exiſtimatio, brevi futurum, ut apud ipſum hunc populum, eodem halitu nigreſcat, ex eadem maledicentiæ *fornace* prodeunte, quam ita omnibus modis *accenderunt*, ut Famam meam & Honorem injecta penitus *abſumerent*.

Magna mihi cauſa erat (fateor) ſuſpicandi *innocentiam* meam, & accuratius in illam inquirendi, cum tot ſingularem pietatem profeſſos, ita promptos in diverſum à Me ire perſpicerem: Id enim vulgi animos tam ſiniſtra de *Me*, & cauſa *Mea* opinione imbuerat, ut vix fieri poſſe exiſtimarent, ut quis Parti *Meæ* adhæreret, & non à *Deo* ſimul diſcederet: immo & idem prorſus illis ſonabat

 de

de *Me* benè loqui, & *Deum* blaſphemare: adeò hæc inter ſe invicem pugnare videbantur, in me *Fides*, & in Deum *Religio*.

Erant tamen (laus Deo) ex mea parte complures, docti pariter & pii, (idque multis paraſangis ultra vulgarem illam Magnitudinem & menſuram ſcientiæ, quâ nonnulli ita gloriantur) quibus tàm integre probatur *Victa Cauſa*, ut mecum pati potius vellent, quam in malis deſerere.

Haud interim mirandum, ſi tot pii prætextus contra Me uſurpati, homines alioqui non malos vehementer percellerent, & in partem adverſam ſimul traherent: accedente præterea populari *Concionatorum* facundiâ, quibus nullum erat flagitium *pro Deo* mentiri, (vel quod ipſi *Dei Cauſam* appellare libuerat) diris omnibus devoventes, qui ſecum pariter devovere noluerant, & tam vehementer plaudentes *Bono Fini*, & in eum ita unicè intenti, ut nec, quàm *illicita* eſſent *media*, attenderent, nec in ſceleris profundum (quod revera *Finis* erat præcipuus) omnino penetrarent.

Homines imbecilli judicio, qui quod illis hîc deeſt, clamore improbo, & ſedulitate ſarciunt, quorum magna pars *Religionis*, Me & Meos infamare, ut, qui alias

alias *ſuam* aſſerere non poſſent, niſi *Meam* tanquam falſam impugnarent.

Deo gratias habeo: quanquam domi foriſque laceſsitus fuerim, experimentum majus habeo Divinæ aſsiſtentiæ quâ firmus maneam *Proteſtantium Doctrinæ* quatenus in Eccleſia *Anglicana* agnoſcitur, quàm (opinor) illis unquam futurum.

Neque ulli me ita Crimini obnoxium ſcio (ſi eorum Sententiæ ſtaretur) quàm quòd nimis videar pertinaciter *Religioni* illi adhærere, quæ ſummo Judicio & Fundamentis ſolidis in *Scriptura* & *Antiquitate* ſtabilita, haud me unquam vel probare, vel conſentire permittet in illas plenas periculi, & inter ſe diſcordes *Novitates*, quas audax quorundam Ignorantia Mihi voluit, & Populo obtrudere.

Quæ cùm penitus adverſentur exploratis fundamentis *Veritatis* & *Ordinis*, quæ multo illis Doctrina præſtantiores, & puriori zelo accenſi in Eccleſiæ *Anglicanæ* Confeſsione, & Conſtitutione ſanciverant, quæque Superiora *Parlamenta* (in ſedatis maximè temporibus & nullo Partium ſtudio corruptis) crebro etiam firmaverant, in his ſemper (Deo juvante) perſeverabo, ut qui hîc

credam maximè Primitivam *Veritatem* & *Ordinem* ineſſe.

Quod verò auxiliis quorundam è *Religione Pontificia* Subditorum meorum uſus fuerim pugnat nullo modo cum hac meâ *Profeſſione*, quod nonnulli perverſe colligunt, ii præſertim, quibus minimè omnium penſi fuerat, qualium hominum operâ uterentur, vel omnino quid dicerent aut facerent, modo quâcunque ratione pollerent.

Mirum ſanè, homines eô (quo videri volunt iſti) acumine, id non facile animadvertere, poſſe in re *Religionis* diſcrepare, eodem aliàs *Officio, obſequio, Fidelitate* conjunctos: Illam enim *Deo* ut Chriſtiani, hanc mihi ut *Regi* in commune debent; cum diverſæ Religionis profeſsio haud magis quam diverſa artificia, communem illam Relationem vel ad Parentes, vel Principes, tollat. Ecqua vero tanta uſpiam *Religionum* Farrago, quàm in iſtorum Caſtris, & Satellitio? cum quod in me reprehendunt ipſi facile in ſeipſis admittunt, nullo habito Sectarum aut Opinionum diſcrimine.

Ingens vero probrum, & macula non eluenda, illos Ipſos *Proteſtantes* (ita enim ſe haberi volunt) me Regem ſuum & Dominum, *Proteſtantem* manifeſtum, ad neceſ-

neceſſaria adigere *Papiſtarum* auxilia, qui hîc ſuum duntaxat officium fecerunt, opem mihi ad Me tuendum ferentes, nec ego quicquam aliud, quàm, quòd licet Principibus in eadem conditione verſantibus, ut ſubditorum cujuſvis ope utantur.

Dolet mihi vehementer, majori ſenſu officii ſui tactos *Papiſtas*, quàm permultos ejuſmodi *Proteſtantes*, qui mihi ſanè videntur à *Romanæ* Eccleſiæ *deterrimis*, dogmata omnium *deterrima* hauſiſſe? ita enim omninò ſe gerunt.

Præpoſterus certe fuiſſet, & importunus conſcientiæ ſcrupulus, & voluptatem proculdubio hoſtibus meis facturus, tunc, cum Illi mecum diſputarent *gladiis*, cum cæteris meis ſubditis controverſias de *Fide* agitaſſe; quórum non ſolùm auxiliis ut *hominum*, ſed ut *Chriſtianorum* precibus indigui.

Clamor ille in *Pravos Conſiliarios* aliud erat Commentum perutile, iis nimirum qui ægre admodum ferebant cujuſquam *alterius* conſilio, quàm *ſuo* obtemperari: qui ita valde feſtinabant meliora conſulere, ut, nec libertate eâ, quæ *hominem* decet, nedum eâ honorificentiâ quâ *Principem*, paterentur accipere, cùm eſſent potiùs ejuſmodi, quæ violenter infuſa, neceſſariò protinus abſorbenda eſſent

ſent quàm velut ſalubris potio, quam lentè pitiſſando exhaurirem.

Haud me eximam vel *Ipſum*, vel *Conſiliarios* meos humanis erroribus: poterant quidem aliqua in deterius conſuli, non tamen ita gravi incommodo, ut non ſecundis & melioribus cogitatis reparari poſſent multo faciliùs, quàm illa valde inſana & portentoſa, quæ non *cladem* ſolum Regno & Eccleſiæ, ſed *excidium* pene attulerunt.

Exitus aliquando docebit Subditos meos, quòd etiamſi vel *peſſimus* Conſiliis, vel quæ *peſſimi* omnium Conſiliarii mihi audebant proponere, vel in quæ Ipſe forſan propenſior forem, obſequutus fuiſſem, haud ita celeriter in Tribus Regnis Florentiſſimis *Eccleſiam* pariter & R*empublicam* in illud *Chaos* confuſionum & ærumnarum *Gehennam* (quod nonnullorum conſiliis effectum eſt) conſcii unquam potuiſſe: è quibus nec jam *poſſunt*, vel certè *nolunt* quanquàm viribus ad id ſatis pollentes, Me aut Subditos meos redimere.

Nemo unquam libentiùs querelam inſtituit, quàm ego cupidus eram corrigendi, quod *Rationi* meæ apparuit dictum vel conſultum perperam: quod quidem me feciſſe putabam, atque id paulò prolixiùs quàm modeſti homines exſpectabant.

bant, quibus moleſtum erat, me nimio in ſubditos Zelo ita facilè in meipſum extitiſſe injurium.

Sed illa *vindictæ* cupido inſatiabilis, quâ in *Me* ſimul & *Aulam*, & *Clerum* Meum ruebant nonnulli, luſit penitus & fraudavit Eccleſiam pariter & Rempublicam uſu omni eorum & beneficio, quæ â Me *conceſſa* vel *revocata*. Quin nec Ipſis ceſsit admodùm fœliciter, qui (nunc *Zelo* licet *perſequutores*) nuper ſuas perpeſsiones apud vulgus jactabant, quarum omnium ſolatiis & præmiis deſtituuntur. Quas quidem ſi verè paſsi fuiſſent, humilitas Chriſtiana haud tanta duceret, ut non mallet vel nunquam *ſuccurri*, quàm eo modo *vindicari*, ut periret ſibi Chriſtianæ *patientiæ* corona, quæ humilibus afflictis præparatur.

Aliud jam porrò artificium, quo ſuffurari mihi Populi affectus, & ad ſe pellicere volebant, erat *Libertatis* oſtentatio & ſtrepitus: cujus haud naturâ magis avidi homines, quàm ferendo impares, ſi eo ſenſu vulgari accipiatur *Libertas*, ut ſit, *id prorſus facere, quod cuique libuerit.*

Sin verò ea ſit *Libertas* ſanctiſsima, *velle homines quod debent*, & *quod ſic velint, facere*, prout Rationi, Legibus, Religioni conſentaneum, haud invideo ſubditis meis

eam *Libertatem*, quâ nec Ipſe ampliore frui poſtulo, nedum aliorum opprimere. Neque reverà credendum eſt, Proceres illos, cæteroſqué (qui in Partibus meis erant) ſplendidis plurimos Familiis ita prodigos ſuæ *Libertatis* fuiſſe, ut ſervitutem ſibi & Poſteris, fortunis ſuis & ſanguine procuratam voluerint.

Quod ad Civiles Immunitates attinet, nemo (pauculis tantum exceptis, obſtinatis ambitioſa ſua & avara conſilia quaquaverſum agere & ferre per ruinas Eccleſiæ, Status, Principis, Procerum Populi) vel majorem *Libertatem* optaret, quàm quæ à Lege permittitur: cujus Juſtos limites Boni Viri *Ornamento* ſibi ducunt & *Præſidio*, cæteri *Compedes* appellant, & *Gravamina*.

Haud interim æquum cenſendum eſt, ut quis Legis *beneficia* & *præmia* exſpectet, illam *Normam* ſibi, & *Moderatricem* aſpernatus; merito enim fraudatur Patrocinio *Legis*, qui diſſolutam anhelat *Libertatem*.

Tempus meliùs erudiet Subditos Meos, illos optimè veram *Libertatem* conſervare, qui ſibi minimam licentiam vel *contra* Leges, vel *extra* illas indulgent.

Sentient aliquando damno ſuo, quicquid ſimulant hi homines) omnino fieri non poſſe, ut ullo molli & tenero affectu

Con-

Concivium libertatem proſequantur, qui me *Regem* ſuum auſi ſunt tanta aſperitatę coërcere, contra omnes Divinas & Humanas Leges: qui tamen vel ſic perire malim, quàm apud illos plangere, quibus nil ad conſummandum ſuum *Triumphum* deeſt, quàm ut ſic flebili voce *accinatur*.

Quod ad *conſcientias* verè *teneras* attinet (quæ ex ſua *humilitate* & *lenitate* æſtimantur, non ex improba illa & ſedula *arrogantiâ*, quâ ovum quodque diverſæ Opinionis in Schiſma protinùs & Factionem extruditur) ſæpè antea profeſſus ſum, me id minime expetere, ut Leges meæ, aut Sceptrum ullam Dei *conſcientiarum Domini* prærogativam invaderent: cum id interim conſtet, ita à *Deo* ipſo homines aſtringi, ut præcipiantur *Subditi eſſe conſcientiæ Cauſa*, nulla aliâ licentiâ indultâ in quamcunque conſtitutam Legem committendi, niſi eo duntaxat animo, ut ſint pœnas annexas ſubituri potius, quàm quicquam Publicæ Pacis perturbetur.

Omnino ſic ſe res habet. Aliis rerum *Novarum* cupiditas, aliis, qui afflictæ ſuæ *fortunæ* mederi aut importunæ *Ambitioni* ſatisfacere volebant, utriuſque in Pace deſperatio (cùm Divinæ *Providentiæ* non minùs quàm *meritis* ſuis diffiderent) oc-

cultæ quidem fuerunt ſed præcipuæ Cauſæ, quæ has Turbas Civiles concitarunt, in quibus, credulum populum eouſque perpulerant, ut multi rem lautam ſuam (quam pacatis Temporibus ſub meo regimine & *comparabant* facile, & fœliciter *gaudebant*) hîc maximam partem diſsiparent, me interim probris illis expoſito, ſummâ omnium virulentiâ excogitatis, queis Majeſtas Regia maximè læderetur, & ingrati Populi inſolentia accreſceret.

Quod ad *Honorem* meum ſpectat: perſuaſum habeo quôd (quemadmodum jam purus & innocens horum omnium quæ calumniantur, coram Deo appareo ita &) *fama* mea aliquando inſtar ſolis (poſtquam noctis parumper & tenebrarum licentiâ, *Veſpertiliones* iſti & *Striges* abuſi fuerint) exoritura ſit denuò, & aſcenſura in eum *ſplendorem*, quem ferales iſtæ volucres & *intueri* doleant, & *ſuſtinere* non poſsint. Nulli enim tantâ cluent gloriâ Principes, quàm quos Deus in ærumnarum chalybe per injurias ſubditorum explorari permiſit.

Et quis ſcit, an Juſtus Ille & miſericors Deus bonum mihi aliquando redditurus ſit, propter falſas eorum & acerbas *maledicentias*, qui loquuntur quæ *optant* potiùs, quàm quæ vel *credunt* vel *ſciunt*.

Sed

Sed nec iſti ſpurci adeo & *infames Libelli* (velut Ignis in magna conflagratione ſuſque deque volitantes, ut omnia inflamment) *mihi* magis in probrum quam *ipſis* cedent, qui eximiam pietatem profeſsi, ita parum ſe memores oſtendunt vel in *Deum* vel in *Me*, officii, ut nec tantillum curaverint Majeſtatem *Regis* ſui vindicare ab eorum calumniis, qui & Dei *præcepto* & Angelorum *exemplo* contrarii, *dignitates probris laceſſunt*, & *maledicti notam* iis *impingunt* qui Deorum nomine honorantur.

At haud mirum, ſi, qui *Deum* non metuant, nec R*egem* ſuum revereantur.

Facilè enim contemnent has *Vmbras* Dei, & *Imagines*, qui Supremæ Illius & Adorandæ *Majeſtatis* reverentiam exuerint, cui collata omnis hominum & Angelorum gloria ſordes duntaxat & tenebræ: qui tamen (tanto licet intervallo disjunctis) eos Regibus Divinæ *Authoritatis* & Sacroſanctæ *Poteſtatis* Characteras impreſsit, qui ſine gravi peccato obliterari non poſſunt. Quicquid *nigri* hîc *veli* oppoſuerint, non abſcondetur *lumen* vultus mei, dum mihi Deus cor dederit ad frequenter & humiliter cum illo verſandum, à quo vera omnis Gloria & Majeſtas derivatur.

Deus

Deus Tu ſcis Improperium meum, & confuſionem meam, in conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant Me,

Anima mea eſt in medio Leonum inter filios hominum qui flammis exurunt, quorum dentes lanceæ, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Tota die exprobrabant mihi Inimici mei, & inſanientes in Me adverſum Me jurabant.

Filii hominum uſque quo (Domine) gloriam meam ad ignominiam? quouſque diligent vanitatem, & quærent mendacium?

Audiſti opprobria Inimicorum undique. Ne taceas, ne quando dicat Inimicus meus prævalui adverſus eum, & gloriam meam in pulverem deducat.

Tu Domine perdes omnes qui loquuntur mendacium, virum ſanguinum, & doloſum abominaberis.

Educ quaſi lumen Iuſtitiam meam, & Innocentiam meam tanquam meridiem.

Fac ut nec ſilens prodam Innocentiam meam, nec patientiam iratus: ut ſervatoris mei exemplo maledictis appetitus non maledicam, & execrationibus devotus non contra referam.

Tu qui linguam illam virulentam Shimei *impunè illi eſſe non permiſiſti, cum tua in* Davidem *judicia viderentur hæc probra vera facere, eâ Me dones gratiâ, ut apud Miſericordiam tuam intercedam pro Inimicis meis, ne dentur his linguis doloſis carbones juniperorum inflammati à Gehenna.*

Sint

Sint preces meæ & patientia velut aqua offuſa quâ miteſcant vel extinguantur linguæ Igneæ, quæ à Gehenna jam diu accendi videntur, & inter malitioſas illas flammas æſtuare.

Des eorum maledicta benefaciendo vel refellere omnino, vel ſilentium imponere Ne gaudeant fructu labiorum ſuorum, ſed Orationis meæ potiùs pœnitentiam illis & veniam precantis.

Inſtrue me Davidis *patientiâ & pietate* Hezekiæ, *ut per eorum virulentiam miſericordiam tuam perſpiciam & in eorum peccato Iuſtitiam.*

Illæ Turbidæ Shebæ *conciones, illa* Rabſhekah *opprobria, & execratio* Shimei, *preces meas humiles laceſſant, & repetitas Tuas in Me benedictiones.*

Licet illi maledicant, tu benedicas, & benedictus ero, & benedictio fiam populo meo.

Et Lapis quem reprobaverunt ædificantes, factus erit in Caput Anguli.

Proſpice me de excelſo Sancto tuo, & libera me ab iis qui me abſorbere cupiunt.

Abſconde me in conſpectu tuo à ſuperbia hominum malorum, & à contradictione linguarum ſerva me.

16. De

16. *De Decreto Parlamentario contra* Liturgiam Anglicanam, *ſeu* Librum Precum Solennium.

FAmiliare hoc cunctis fere *Novitatibus*, ut *Reformationis* Nomine in *Eccleſia & Statu*, inducantur, idque ab iis plerunque, qui famam apud vulgus captantes pietatis & ingenii ſingularis, irrita omnia facere conantur, quæ rectiſſimè & prudentiſſimè conſtituta.

Ita ægrè impetratur à *Novatorum* ſuperbia, ut in *ſuperioribus* ſe ſeculis quidquam omninò *prudentiæ* aut *pietatis* agnoſcant.

Quoniam vero Preces & *Cultus* Dei *Publicus* magna Religionis momenta ſunt, ut, quibus Animæ hominum cum Divina Majeſtate propiore commercio fruuntur, haud alias gratioſiùs ſe jactant Populo quàm id ſerio monentes, Deum malè in *hac parte* coli.

Hinc

Hinc *Publica Liturgia* & Solennes *Precum Formulæ* non *corrigendæ* ſolum (ſi quæ, liberâ priùs & publicâ conſultatione habitâ, vel in *re*, vel *modo* minùs commodè habere viderentur, cui ſane haud quaquam repugnâſſem) ſed *antiquandæ* penitus & *abolendæ*, & poſt plurima demum ludibria in *Librum* ipſum & Libro *utentes*, prout Conſcientia & Leges exigebant, ad extremum *Decreto* crucifiguntur, ut iis nimirum gratum fiat, qui *extemporanea* ſua facultate & *divite vena* gloriantur; yel iis ſaltem, qui malè ſibi conſcii perfunctoriè nimis in hac parte egiſſe, expiatam jam ſibi hanc culpam ducerent illius convitio, quaſi *litera mortua* eſſet, merito repudianda, ut ſic *Corda* ſua *mortua* meliùs excuſent.

Quod ad Argumentum hujus *Libri:* Satis jam diù docti & cordati homines ab eorum cavillis & ſtricturis vindicârunt, quorum magna pars pietatis in hoc ſita eſt, ut profanè illum criminentur, *Papiſmi*, inprimis, & *Superſtitionis* nomine: cùm proculdubiò *Liturgia* ad Eccleſiæ *Anglicanæ* Doctrinam exactè formata fuerit, eam ſcilicet, quæ ab omnibus *Reformatis* Eccleſiis ſana maximè & Orthodoxa agnoſcitur.

Quod verò ad *certas* & *præſcriptas* precum

cum *Formulas*: haud dubitandum eſt, quin verba ſana, & Nota, & Intellectui hominum accommodata, tum facillimè in corda recipiantur, tùm affectus prudenter fervidos, ſint *excitare* & *promovere* aptiſsima.

Neque ullam omninò cauſam video, cur faſtidium magis daret Chriſtianis bene *formata* & *compoſita* (qualem hanc exiſtimo) *Liturgia*, quâm res aliæ complurimæ, quibus ob perpetuam conſuetudinem, nil de fructu aut excellentia decedit: vel, quâ tandem ratione ſuadeatur Chriſtiano, ut aſpernetur has *eaſdem* Precum *Formulas*, vel interdici ſibi hunc morem æquum cenſeat, qui *eundem* ſemper Deum precatur, in *eundem* Servatorem credit, veritates *eaſdem* profitetur, *eandem* legit Scripturam, officiis *iiſdem* obligatur, & *eoſdem* plærunque in ſe defectus, (tam *externos* quàm *internos*) toti ſcilicet Eccleſiæ communes, agnoſcit.

Rogo, cur non liceat periade præcognitum habere *quid* precamur, ac Illum *quem* precamur? cur non æque *verba*, ac *ſenſum*? cum *eadem* omnes expetimus, quid obſtat quo minùs *iiſdem* ipſis voculis? certe *panis noſter quotidianus* haud ideò ſapit deteriùs, quod *quotidie* (ut precamur) manducatur.

Eſt tamen genus quoddam hominum ita impatiens coarctari, vel in quacunque precatione *Doni* ſui uſu, id eſt *propria inventione* interdici, ut ipsâ etiam *Oratione Dominica* non ſolùm (quod plærique) rarò admodum utantur, ſed eam penitùs repudient & aſpernentur, cujus id quoque grande crimen eſt, quod ſit præſcriptum quoddam & Archetypon omnium *Liturgiarum* in Chriſtiana Eccleſia.

Equidem ſemper arbitrabar, ſuperbam hanc ingenii *oſtentationem*, & affectatam verborum *redundantiam* in Precibus Publicis, vel in Sacris Officiis quibuſcunque, majus multo in ſe crimen habere, quàm, quod *Frigus* appellant, & *ſterilitatem*. Porrò, in his *Novationibus* haud rarius, quàm in *Perpetuæ Formæ* uſu contingit, ut eâdem prorſus ſupinitate & oſcitantiâ (animi ſaltem) peragantur, cum, ſi quid ſit ejuſmodi, *cordi* potiùs quàm *verbis* ſit imputandum.

Alii, oratione multiplici, & extemporaneâ ſe effuſione jactantes, formam tantum habent pietatis, alii, intra certas verborum & conſuetas formulas, vim optimè illius, & fervorem retinent. Neque eſt Deus magis *diverſitatis* Deus, quam *conſtantiæ*; nec omninò majus periculum eſt, ne conſuetâ Precum *For-*

mulæ

mula obſtipetur & *torpeat* Spiritus precum & Devotionis, quàm, ne confuſa & immeditata varietas *diſtrahat* illum penitùs, vel *excludat*.

Quamquam verò haud repugnem exerceri à Miniſtris *dona* ſua, etiam in *publico*, dum id graviter fiat & humiliter, & eâ quâ decet prudentia, quo, & ſua forſan magis & Populi ſtudia excitari poſſint, & in præſens negotium præparari; nulla ſuadet propterea neceſſitas, ut quantacunque vis ingenii, & eximiæ dotes privatorum hominum, pellant penitus ab Eccleſia, vel illi fraude eripiant conjunctas facultates & conſpirantia dona tot Doctrinæ & pietatis laude præſtantium, quales erant, qui noſtram illam *Formam Publicam* compoſuerunt, qui ſanè meritò exiſtimentur ampliori fuiſſe Gratiâ & Donis inſtructi, quò maturâ deliberatione, & conſociatis conſiliis, eas *Formas* precum componerent, quæ communibus Eccleſiæ indigentiis optimè poſſent competere, tum Auditorum intellectus informare, & eam denique fiduciam & fervidam mentis intentionem (*vitam* ſcilicet Precum & *Animam*, verumque Illum quem ſic crebro jactant *Spiritum*) fœlicius multo excitare, quàm ſperandum ſit ab uno homine, quantácunque ſeorſim

ſeorſim facultate pollenti. *Quæ*, quanta ſit in iſtorum plæriſque (etiam in quo ſe oſtentant maximè) illa paſsim eorum *affectationes*, illa *inania*, *inſulſa*, *ruſtica*, *confuſa*, illud *exſangue*, *putidum*, *obſcurum*, vanæ & ridiculæ *repetitiones*, *ſenſu vacuæ* expreſsiones, & ſæpè etiam *blaſphemæ*, tædio denique omnia, & prolixitate immenſa, ſatis omnibus demonſtrant, niſi qui eodem *Phariſaiſmo* glorjantur.

In quo frontem eorum demiror, & cœcam ſui adulationem, haud pudere, hoc modo agentes in rebus Sacris coram Deo & mundo tam *ridiculos* conſpici, ne dicam *prophanos*.

Nec reverâ vitari poteſt, quin, in ſolennibus & crebris *officiis* (quales ſunt *Sacramentales Celebrationes*, quæ eodem ſemper modo fiunt) vel ſuas *Formas* peculiares perpetuò ſint uſurpaturi (quas certè, haud tàm ſanas futuras credibile eſt, & naturam officii complectentes quàm has in publicum uſum compoſitas) vel ut ſingulis vicibus *varietur*, cùm argumentum ſemper ſit *idem*: in quo ſane ſperari non debet (ſint quantumvis aliàs inſtructiſsimi) ut non aliquid ſaltem deſideretur in gravitate, ordine, perfectione, quæ in hujuſmodi *Officiis* requiritur, quæ hoc tandem modo

cele-

celebrata fiunt omnium Miniſtrorum erroribus, tum infirmitatibus plærunque & perturbationibus, tum judicii & eloquentiæ mancamentis obnoxia.

Quæ incommoda neceſſariò ſequutura *diverſos* Celebrandi *modos*, cùm vehementer ſeriò perpenderet ſapientia & pietas Antiquarum Eccleſiarum, occaſionem hinc arripuerunt (quâ mederentur huic malo) inſtituendi *perpetuas Liturgias*, eaſque publicè priùs componendas.

Quarum defectum aliquando ſentiet (credo) hæc *Eccleſia*, cùm effrenis in poſterum *ignorantiæ*, & imbecillium ingeniorum *præſidentiæ* fructus indies calamitoſi, in omne genus *erroribus*, *confuſionibus*, *Schiſmatis*, & alienis charitate diſſidiis, (quæ jam nimis malo noſtro experti fuimus) magis magiſque detegentur.

Sin vero ita obſtinati ſint, (ne omninò *nil agere* videantur) has ſuas *Novitates* invehere, quas & *Lex* & *Ratio* & *Religio* prohibet, (ſaltim ita per *vim* obtrudi, ut *Liturgia publica* extrudatur) nullo tamen colore excuſatur iniquiſſima horum hominum ſeveritas, qui (cum Ipſi non ita pridem, pars maxima ſubſignarent, uſurparent quoque hunc *Librum*, & aſſererent, vel, qui id recuſarant, vehemen-

hementer in Legum & Epiſcoporum truculentiam inveherentur, qui libertatem conſcientiarum hac in parte negabant) ita jam derepente alii facti ſunt, ut non ſolum *Liturgiam* in *Directorium* commutaverint, quaſi ſubſidiis inventionis egeret Spiritus, expreſsione utcunque non neceſſariâ, vel, quaſi non æquè anguſtaretur præſtitutâ & ſtata materiâ, quam intra certas verborum formas incluſus, ita facilè vulgo imponitur) ſed eâ porro ſeveritate hîc agant, ut nec uſum *Liturgiæ* cuivis amplius permittant, licet utrinque obligati, pietate in Deum, & in Leges obſequio.

Unde conſtat nullos magis Tyrannidem moliri nec rigidiùs ab aliis exacturos ut illicitis ſuis *Novationibus* obtemperent, quàm, qui Ipſi (qua erant ſuperbia) ad parendum legitime ſancitis minime omnium fuerunt proclives; qui enim ſuæ haud ita dudum ut indulgeretur licentiæ, libertatem Conſcientiæ crepabant, hanc mihi, & meis Sacellanis ſi quando Copia eorum data fuerit, vix & ægrè permittunt; quos quidem, non dubito, etiam in illa ſuâ *extemporanea facultate* minime illis concedere, modeſtia vero & doctrina longè præſtare.

Hæc verò ita merè popularia ſunt, & ad vulgi ſenſum, ut ſatis ipſi animadvertant,

vertant, eruditam diſputationem non latura: ne rationum evidentiâ non minùs, quàm apertâ Lege convicti, vel jam magis contra ſcientiam ſuam peccarent ſublatâ *Liturgia*, vel permiſsâ illius conſuetudine Factioni ſuæ & Parti diſplicerent. Quanquam multò plures hîc offenſos crediderim, eoſque majoris pretii homines, nec numeris ſolùm & opibus, ſed judicio pietate pollentiores, quorum longè & alia ratio habenda, quàm nonnullorum imbecilli & fluxo ingenio, quibus gratam rem fecerunt hæc abrogando.

Illud maximum (opinor) apud homines ejuſmodi in *Communis Precum Formulæ* crimen valere, quod pro me toties orare inſtituit, cùm his Fides deſit quæ reſpondeat AMEN, & multò magis Charitas in illis ſuis Orationibus, quæ Precum vice, probra, & maledicta in me omnia effundunt.

Nullam aliam his pœnam opto præter ſuam pœnitentiam, ut advertentes mala jam indicta Publicarum *Liturgiarum* deſuetudine, eam denuo illis exiſtimationem, uſum porrò & reverentiam reſtituant, quæ certis *Formis* ſanorum & ſalubrium verborum ob antiqua Eccleſia habebantur.

Et

Et Tu *Domine qui es ſemper idem Deus in æternum benedictus, cujus variæ Miſericordiæ, & conſtantes tamen;* Tu *veteres noſtros & quotidianos defectus, nova uſque & recenti benignitate reſtauras, nec renovatos affectus aſpernaris, iiſdem licet verbis prolatos.*

Ne deſtituamur beneficio orationum, quas recte prius meditatas unita Tua fundit Eccleſia.

Sit Precum *noſtrarum Argumentum voluntati tuæ conforme, quæ ſemper eadem, & ſuggeſtionibus tui Sancti Spiritus, animorum fervor.*

Et jam nulli dubitamus, Te *qui tota es Spiritualis perfectio nec affectata Novitate delectar, nec iiſdem ſæpe repetitis, piis modo precibus offendi.*

Has enim varias eſſe, vel eaſdem, nullibi à Te *vel præceptum vel vetitum: ſed relictum pietati & prudentiæ Eccleſiæ, cui utriſque harum uti licet, neutram ſpernere.*

Fac ut in Re Religionis *ita diſcant homines judicia ſua pie moderari, ut nec aliis ignorantia ſua noceant, nec facultatum ſuarum præſidentia iis omnibus quærant privare, quæ rite ſimul & pie in* Infirmitatis *ſubſidium adhibentur.*

Et cum Errores fere inducant Novitas & Diverſitas, Veritas contra in unione, & Conſtantia ſervatur, Ne Eccleſiam tuam ſiveris vel corrumpi erroribus, vel indecoris in te colendo ritibus deformari à diverſa & nova invehentibus: ſed nec etiam fraudari veritate, unione & ordine, hac fallaci ſententia deceptos, ſtatas nempe has Formas Formam tantum Religionis *generare.*

Integra nobis corda cuſtodi ab Hypocriſeôs larva, nec jam eadem precantibus, aut Te laudantibus voce illa Davidica aut aliorum ſanctorum, quicquam nobis deterius eveniet.

Da nobis Sapientiam, ut quæ intus ſunt prava corrigamus, minus erit jam extra emendandum.

Libera ſemper Eccleſiam tuam, & immunem præſta his malis quæ cæcitatem zeli & audacem pietatem conſequuntur.

17. *De controverſiis inter* Regem *& utramque Domum* Parlamenti *in* Diſciplina Eccleſiaſtica.

Regimen Eccleſiæ per *Epiſcopos* quòd eâ ſemper pertinaciâ defenderim, ea erat plurimorum ſuſpicio me non *vera pietate* id facere, ſed *Politicis rationibus* adductum.

Nec ſanè diffiteor, eouſque apud me valere Rationes *Politicas*, ut hoc Regimen aliis anteponam, quatenus mihi jam diu exploratum eſt

Regi

Regi eſſe omninò impoſſibile Regnum ſuum in pace ſervare, niſi eam in Eccleſiaſticos *vim habeat*, & ij viciſſim ita ab Illo *dependeant*, ut ſit *frænum* aliquod poſitum Miniſtrorum *linguis* nimis alias proclivibus in ſeditioſam licentiam evagari: cùm enim *Claves cælorum* tenere exiſtimantur, ita tenent plærunque *Cordium claves* (plebis præſertim hominum) ut (prout varia oratione placuerit) pacem ſæpe & obſequium in principem vel *intromittere* poſſint vel *excludere*.

Atque adeò (mea quidem ſententia) cùm Mihi ut Regi tum à Deo & Legibus ſalus Regni & *Eccleſiæ* commendatur, nulli erat rationi conſentaneum, ut quacunque in diverſum mutatione *vim* illam meam & *influentiam* (qua omni jure & ratione in utrumque pollere debeo) infirmarem ullo modo, aut deſererem.

Excluſio Epiſcoporum è *Domo Parium* ſatis erat *excludendæ* etiam illi ſuſpicioni me Illis ideo faviſſe, quo mihi commodè viciſſim in rebus *Regni* ſententiis ſuis obſequerentur. Cum reverâ indignum Illo conſeſſu *Epiſcopum* arbitror, qui ſecundum Conſcientiam ſuam ſuffragari non audet.

Impetrare tandem liceat ab iſtorum charitate, ut hac ſolum cauſa exiſtimer Ordinem Illum conſervandi cupidus, uti primò inſtitutus fuerat, quatenus Rem Religioſam & Sacram agnoſco, quæque argumentis perſpicuis (queis judicium meum confirmatur) probat

ſe tum ſolidiſſimis *Scripturæ* fundamentis inniti, tum Chriſtianarum Eccleſiarum *perpetuæ Praxi*, uſque ad paucos admodum abhinc annos: cum, vel *Turbæ* populares, vel Presbyterorum *Factiones* & *Arrogantia*, vel etiam Principum ipſorum & Statuum *Avaritia*; occaſionem dederunt nonnullorum ingeniis, *Novas* has ſuas *Formas* excogitandi, atque eas demum proponendi ſub ſpecioſis iſtis Titulis, *Chriſti* nimirum *Gubernationis*, *Sceptri* Ipſius & *Regni*, quò commodius opus ſuum agerent, quibus utile erat, res ſic mutari.

Veniam interim mihi dabunt, ſi nullis hujuſmodi tentamentis illectus ad movendos gradu *Epiſcopos* (quo fortunas eorum tanto melius invadam) parum etiam fidei adhibeam prætenſis *Novandi* rationibus, quæ ita omnium Hiſtoriarum conſtanti & perpetuo teſtimonio repugnant, quo certe ſanis hominibus, & nullo partium ſtudio actis facile fiet exploratum, quòd, quemadmodum *Primitivæ* Eccleſiæ proculdubio ab Apoſtolis Regebantur, & eorum Immediatis ſucceſſoribus primis illis & optimis *Epiſcopis*, ita nulla ratio vel Charitas exiſtimabit omnes totius Orbis Eccleſias, vel ignoraſſe Regulam ab illis præſcriptam, vel à ſacro & divino exemplari tam cito *deviaſſe*; cum, à primo uſque ſæculo, ad mille quingentos annos, ne unum quidem exemplum prodeat ſtabilitæ cujuſquam Eccleſiæ (in quo plurimi Miniſtri & Cætus erant) ubi non aliquis præſidebat *Epiſcopus*, cujus cæteri

teri Regimini & Juriſdictioni parebant.

Harum autem perpetua & Univerſa *praxis* tot perſpicuis & amplis in Scriptura *Regulis* pariter & *Exemplis* conſona, cum ſatis oſtendatur in *Epiſtolis* ad *Timotheum* & *Titum* eo conſilio ſcriptis, ad ſtabiliendum hoc maximè Regimen, non in *perſonis* duntaxat *Timothei* & *Titi* , ſed in eorum etiam *ſucceſſoribus* (cùm *Diſciplina* & Regimine haud magis poſſit Eccleſia quoad ſuum *bene eſſe*, quàm *verbo* , & *Sacramentis* quoad *Eſſe* , deſtitui) Miror illos, qui ſic jus *Epiſcopale* & Authoritatem maligne intuentur , ita penitus livore occæcari , ut nec tantillum animadvertant , vel quis *uſus* horum in Eccleſiâ , vel quàm ſit *Apoſtolica conſtitutio* , quod utrumque in his Epiſtolis videtur haud minus perſpicuè explicari, (tanquam ſcopus earum eſſet & finis Principalis,ut peculiare quoddamMunus, Jus & Authoritas inſtituatur & delegetur certis hominibus, qui *Præſidentes Epiſcopi*, cæteris in Ordinatione , Cenſuris , & reliquis porrò Eccleſiaſticæ Diſciplinæ actibus præeſſent) quam breviores illæ notæ Qualitatum & Munerum ad *Presbyteros*, *Epiſcopos* , & *Diaconos* pertinentium , alibi in eadem Epiſtola deſcribuntur. In latiori enim ſenſu & promiſcuo uſu Nominis, utroſque horum mos erat, (& fortaſſe nunc licet) appellare Epiſcopos , quatenus Curam quandam ipſi , & *Inſpectionem* obtineant in Privatos ſuos Greges , quos illis Apoſtoli , vel *Apoſtolici* illi Epiſcopi de-

mandarant, ij nimirum qui (non ſecus ac *Timotheus* ac *Titus*) ſuccedebant in ordinariam poteſtatem in ampliori aliqua parte Eccleſiæ & jam plures Presbyteros complectente.

Ea vero humilitate erant Primi Illi *Epiſcopi*, ut declinantes eximium *Apoſtolorum* nomen (quod jam ſtylus Eccleſiæ à communi illa ſua acceptione (qua Nuncium vel *Miſſum* ſignificat) ad ſpecialem Illam dignitatem traduxerat, quæ Extraordinariam ſuam Vocationem, Miſſionem, Dona & Poteſtatem immediate à Chriſto acceperat) ſat haberent ſe Epiſcopos vel Presbyteros vocari; donec tandem conſuetudo (magna verborum arbitratrix & loquendi norma) cum juſta cauſa videretur peculiari aliquo Nomine diſtinguendi quorum Jus & officium in Eccleſia non *diverſum* ſolum à cæteris, ſed Illis omnibus erat *ſuperius* (cum *Apoſtolorum* eſſent *ſuccedanei* in Ordinaria illa & perpetua poteſtate adminiſtrandi Eccleſias, utcunque *Nominis* Illius *Honore*, modeſtè ſed laudabili more abſtinentes) his Nomen *Epiſcopi* appropriandum vellet: quod ſanè fieri potuit abſque ulla vel minima Arrogantiæ nota in Eos, qui propagine quadam Apoſtolica recta ſerie ab illis deſcendentes, excelſiſſima & Ampliſſima Poteſtate induebantur gubernandi puriſſimas & Primitivas Eccleſias, quæ proculdubio multos habebant ſanctos Epiſcopos ad exemplum *Titi* & *Timothei*, quorum peculiaris poteſtas haud magis clare innoteſcit ex præfatis Epiſtolis,

ſtolis, quæ ſunt quaſi Fundamenta & limites Illius quod ex *Iure Divino* ſibi vendicant *Epiſcopi*) quàm expreſſe notantur *periculoſa* hæc *Tempora* , & qui Illis hæc pericula creârunt: qui *Sanam Doctrinam non ferentes* & clariſſimis Teſtimoniis Eccleſiarum Praxeôs adverſantes ita præfractè diſputant & arroganter uſurpant in verum *Epiſcopatum* , qui ſi minus *Proditores* & *Glorioſi* appellandi ſint, at videntur quidem Illi ipſi *eſſe cupidi* , *præcipites*, *inflati* , *intemperantes*, *immites*, *voluptatum amantes potius quàm amantes Dei* , *habentes formam pietatis* , *ſed qui vim ejus abnegârint.*

Hi vero cum nil aliud habeant,cumulo quodam futilium , leviculorum , & nullius eruditionis Doctorum quaſi mole congeſtâ opprimere quærunt penitus & obruere Claritatem ſimul & Authoritatem *Epiſcopalis* Regiminis, quæ citra omnem Æquivocationem aut ambigui Nominis fallaciam evidentiſſimè in Scriptura demonſtratur, tum in omnibus Eccleſiæ Hiſtoriis.

Hæc *Theologi* potius more , quàm *Principis* ſcribo, ut Poſteritati ſaltem liqueat (ſi in publicum prodierint hæ chartæ)quibus tandem fundamentis Judicium meum tum ex Scripturæ *Canonibus* , tum Eccleſiaſticis *Exemplis* de *Epiſcopali Regimine* confirmatur : cui profecto nec Ratione ulla *Politica*,nec obſtinatæ voluntatis *pervicacia* , nec ullo vel in *Homines* ipſos, vel in *Ordinem* peculiari *ſtudio* indulſi : Nulli enim horum tanti mihi eſſe poſſunt (ſaltem

quoad ſeculum) ut injurias, & detrimenta ullo modo compenſent, quæ Mihi, & Meorum chariſſimis, tum & Regnis quoque hæc potiſſimum controverſia creavit.

Quinimò non ſolum quoad *Religionem* (cujus optimus Canon *Scriptura* eſt, & univerſæ Eccleſiæ *Praxis* optimus Commentarius (ſed ſi quis recta ratione naturam *Gubernationis* expenderit, omninò credi non poteſt, benè inſtitutam ſubordinationem inter Presbyteros vel Miniſtros ullo modo Chriſtianitati magis repugnare, quàm ſæculari & civili Regimini, ubi plerunque è *paritate* Confuſio & Factiones oriuntur.

Mihi ſane, qui negaverit hæc poſſe cum vera Religione conſiſtere, perinde eſt ac ſi dixerit, nec cum Harmonia Numeros, nec bona lineamenta cum bona forma conſtare.

Sed nec credibile eſt, Deum, qui diſtinctos *Ordines* & *Præſulatum* ad gubernandam illam primam Eccleſiam in *Judacio* Sacerdotio inſtituerat, eandem inter *Chriſtianos* miniſtros vetare voluiſſe aut reſpuere, cum in his, non ſecus ac aliis ſubſint etiam *ſeditionum* & *Schiſmatum* ſemina: quæ, ut anticiparet, vel mature reſtingueret, prudentia *Apoſtolica* (quæ certè *Divina* erat) creſcente in multiplices Congregationes (in quibus ſingulis erant Presbyteri) Chriſtianorum Numero, hanc Gubernandi rationem *inſtituit*, quæ *unitatem* optimè & *ordinem* cum Authoritate conſervaret.

Unde

Unde ſatis perſpicuum eſt, nec Principum *Gratiæ* nec Presbyterorum *ambitioni* inſtitutionem *Epiſcoporum* in Eccleſia deberi, qui hoc Iure ſuo gaudebant, & exercebant perpetuo, iis maximè temporibus, queis Religio *puriſſima* erat, perſequutiones *aſperrimæ*.

Nec tamen repugno, hanc unius *Præſidentiam* & *Authoritatem* eo modo adminiſtrari, ut commune Multorum *Presbyterorum* Conſilium & Conſenſus adhibeatur (quod etiam ultro largiebar) ut medium prorſus non inutile ad vitandos errores, cæteraſque corruptelas impotentis præſertim ſtudii & Gratiæ, quibus *unus* aliquis eſſet magis forſan obnoxius, tum autem ad cavendam *Tyrannidem*, quæ, ut minimè *Chriſtianos*, ita minimè omnium *Eccleſiaſticos* decet. Accedebat hoc inſuper commodum, quod levare aliquo modo videretur onera illa & odia, quæ *unius* viri humeris nimis graviter incubuiſſent: quod & opinor, *Epiſcopis* meis accidiſſe.

Quid jam magis *Rationi* aut *Religioni* conſonum, quàm ejuſmodi forma *Gubernationis*, qua *Parentem* quis magis quàm *Dominum* referat? & qua non ſolum ad vitandas *Factiones*, *Confuſiones*, *Æmulationes* & *Contemptus* (quæ facile omnia inter *pares* naſcuntur) maximè valet, verum etiam (cum ſint aliqua in *Donis* Miniſtrorum diſcrimina, & diverſa Gubernandi capacitas) hîc utique videtur neceſſaria, ut, qui cæteris ſint præſtantiores, digniori aliquo *Munere* fungantur: Sed neque

hæc præoccupato Judicio, & contradici non ferente pronuncio. Satis conſtat, me conatum ſedulò, ut mihi integrè fieret exploratum, quid diverſæ Partis Patroni præcipui vel *contra hanc* objicere, vel *pro ſua* allegare potuiſſent: id verò ſeriò tandem deprehendi, non *Scriptura* ſolum & *ratione* multum infra noſtros cauſâ cadere, ſed *exemplis* Eccleſiarum, & *Praxi*, & Hiſtoriarum *Teſtimoniis* planè deſtitui, ita toto flumine in *Epiſcopatum* ruente, ut nec tenuiſſimus illis rivulus relinquatur.

Quod ad *exempla* illa (nimis importuna) Eccleſiarum quarundam *nuperæ Reformationis*, (omnes enim non carent *Epiſcopis*) quas Rerum & Temporum neceſſitas *excuſat* potius, quàm *abſolvit* ab Antiquitate diverſas, nullam ſane cauſam video, cur Eccleſiæ rectè reformatæ, & ab *Epiſcopis* adminiſtratæ ad *paucorum* hominum exemplar componi potius adigantur, quàm ad *Antiquarum* Eccleſiarum Catholica (quæ nullâ prorſus Reformatione eguerunt) vel ad illas jam extantes Eccleſias, quarum plures ſunt in Chriſtiano orbe ab *Epiſcopis* adminiſtratæ, quàm vel omnium *Preſbyteriſtarum* & *Independentium* ſimul, quas quidem omnes (opinor) ipſas in Tribus Meis Regnis ab *Epiſcopis* rectas Eccleſias æquare ſaltem numero ſi non excedere.

Minimum interim *prudentiæ* aut *Charitatis* ſapere videatur in hac Chriſtianorum diſcrepantia (qui plus nimis in cæteris diſcordant) latius plagam diducere, & toti orbi Chriſtiano

(præter aliquem *Proteſtantium* manipulum) tantum ſcandalum objicere in *Adminiſtratione Eccleſiaſtica*: quos, etiamſi in nonnullis *Doctrinalibus* manifeſti erroris convincendos nunquam eò perduces, ad ut conſummandam Reformationem deſerant illam penitus & repudient Inſtitutionem, quam cum omnibus retrò ſæculis *Catholicam*, *Primitivam*, *Apoſtolicam* adeo tenuerunt, ut nulli unquam *Schiſmatici* cætera vel *Hæretici* (unis illis *Aërianis* exceptis) ab unitate Eccleſiæ, & conformitate in hac parte deviarint, inter quos ſemper *Epiſcopi* Presbyteris *ſuperiores*.

Nec eo parùm argumento judicium meum confirmatur, quòd Regimen iſtud *Epiſcopale* haud ita dudum Univerſo Conſenſu probaverint, & ſe illi ſubmiſſerint non Laici ſolum ſed ipſi etiam in his Regnis Clerici, quorum tanta levitas & inconſtantia in præjudicium cedit Novitatis: cùm enim (quá ſum Charitate) doctrinam eorum & probitatem euſque ſuſpicari non poſſim, quaſi aut ignorâſſent quid fecerint, vel adverſus Conſcientias ſubſcripſiſſent, nunquam certè excuſabo facilitatem hanc illis & mobilitatem ingenii, qui priuſquam liberè & æquè controverſia hæc fuiſſet diſceptata, contra Juramenta ſua ſuperiora & Praxim, contra obedientiam in Leges jam valentes, me denique repugnante, non ſolum Regimen *Epiſcopale* exploſerunt, ſed plauſum etiam & ſtimulos illis addiderunt qui *Epiſcopos* cæteroſque Eccleſiaſticos tam nefario

& crudeli modo ſpoliarunt, ut ipſas etiam Terras Eccleſiæ venales habuerint, & ab omni Sacro uſu in perpetuum abalienandas; Eam vim habent fluxus temporum, & præpotentia Partium in nonnullorum hominum judicia, qui ut ſic jam repentè & penitus mutarentur, nullam aliam poſſunt cauſam afferre, quàm, quòd *Scotorum* Exercitus jam in *Angliam* veniſſet.

At ſe olim caſtigabit horum hominum ſtultitia, & deſertores *Epiſcopatus* ſibi ipſis non minus inimici, & rem ſuam prodidiſſe deprehendentur: nunquam enim vel ipſe *Presbyteratus* vim illam aut pretium ſeorſum obtinebit, ac fuiſſet *Epiſcopatui* conjuncto & eodem quaſi coronato: Ut vero ſecundior ſit Miniſtris *aura populi*, quàm *Principis Gratia*, æquè parum ſperari debet, ac, ut creſcant fælicius plantæ manu rigatę illis rore cęleſti dulci & liberali perfuſis. Quin inopia & contemptus cleri oſtendent, quale jam *cadaver* ſupererunt, cùm à *Capitis* Illius influentia, in cujus *Primatum* jurârunt, dimoventur.

Modico interea temperamento adhibito, occurri forſan potuiſſet magnis malis. Id interim fixum eſt mihi, *Epiſcopatum* illum *Primitivum* quantum in Me eſt extirpandum non pati: facile reformabit Prudentia affectibus incorrupta, quicquid temporum ærugo, vel indulgentia Legum, vel corruptela Morum induxit: vitia *Perſonarum* aut *Temporum* toti *ordini* imputare, vel propterea in pœnam depoſcere,

cere, craſſus vulgi error, & inter eas ſeditionum *Maximas*, à quibus omnes Cordati homines meritò abhorrent.

Secularia vero illa additamenta *Authoritatis* & *Honoris* Civilis, & *Fortunæ* ornamenta, quæ Majores mei & alii Chriſtiani Principes *Epiſcopis* cæteriſque Eccleſiaſticis annectanda cenſuerant, haud alia ſemper exiſtimavi, quàm juſta eruditionis & pietatis præmia iis maximè debita qui Eccleſiaſticæ Adminiſtrationi aliquo modo immiſceri mereantur; Accedit, quod ſic melius ad Charitatis opera, & Hoſpitalem beneficentiam inſtruantur, tum Authoritatem etiam habeant munitiorem quoad externum reſpectum & obſervantiam (quæ vix unquam in pacatis temporibus, ita ex *Virtutis* dimenſo, ac *Fortunæ* perſolvitur) cum tenuitate haud dubio & inopia ipſi ſimul & Munus evileſcerent in hac morum diſſoluta & animorum licentia, quam dura illa Tempora caſtigabant.

Tales ſemper exopto *Epiſcopos* fieri qui ſint his incitamentis digniſſimi, & in optimum uſum converſuri: Si quid judicio erraverim, bono ſaltem animo excuſabor. Erant mihi (ſat ſcio) nonnulli hujuſmodi, quos eruditos, graves, & pios homines fuiſſe nemo certè inficietur cui vel mica Judicii aut frontis ineſt; Illud fateor me ſummopere expetiſſe ut Eccleſiaſtici præ cæteris (maximè ij qui *præſunt*) ab illo vulgi contemptu ſecuri viverent, qui (præter id quod fere omnibus innatum

tum eſt iis potiſſimum *adverſari* qui *reprehendere* aut *coercere* videantur) neceſſario debet comitari vel *Presbyterorum* paritatem quâ omnes æquantur, vel I*ndependentium* diſparitatem, quâ infra Populum collocantur Paſtores.

Hæc mea de *Epiſcopatu* ſententia eſt, in qua (Deum teſtor) nullo affectu privato aut ſtudio vel tantillum à veritate deflexi.

Deum jam appello & orbem Chriſtianum, an ſit fas *ſubditis*, vel *Chriſtianis* pium, vi merâ & injuriis in ſervilem modum coercentes me Regem ſuum eò velle ſubigere (quod nonnulli fecerunt) ut, reluctante Judicio ita ſolidis fundamentis ſubnixo, in infirmas iſtiuſmodi & inter ſe diſtractas Novitates conſentiam.

Nemo prorſus eorum eſt, etiam qui optime affecti videntur, qui vehementius quàm ego exoptat ut adminiſtretur Eccleſia ſecundum ipſum *Chriſti* inſtitutum, prout recta R*atione* è *Scriptura* colligitur, ubi nullum adhuc video Argumenti ſimulachrum cur hæc nova potiora crederentur, niſi id ſatis habeant afferre nonnullarum Eccleſiarum exempla in Infantia illa Prima & ſolitudine, (cum jam raro adhuc *Chriſtianiſmo*, uni forſan in Civitate vel Regione cætui unus facile Presbyter ſufficeret) vel hanc velint perſpicuam veritatem negare, exercuiſſe ſcilicet Apoſtolos *Epiſcopatum* æque in eos quos Presbyteros inſtituerant, quàm, in quas plantaverant Eccleſias; & (cum

hoc

hoc eſſet imprimis neceſſarium ad bene eſſe Eccleſiæ aucta poſtea, & in multiplices cætus abeuntis, formam aliquam Regiminis inſtitui) hunc etiam neceſſario ab Apoſtolis derivatum ad exemplar Poteſtatis illius & Authoritatis, quæ ab Ipſis in alios exercita uſu adhuc & fine Gubernationis manente, cum ipſis finire non poterat.

Conſtat eas quæ Puriſſimæ, Primitivæ & Optimæ Eccleſiæ audiebant ſub *Epiſcopis* omnes floruiſſe, quod etiamnum fieri poſſet, ni ignorantia, ſuperſtitio, avaritia, ultionis porro cupiditas aliique inordinati & perverſi affectus ita animos quorundam contra illos concitaſſent, ut, quod deeſt *Rationum* & Primitivorum *Exemplarium*, vi & *Armis* perficere conentur: dum nonnulli magno zelo (proculdubio) *Epiſcoporum* Agris, Ædibus, & vectigalibus inhiantes, propter hæc multo promptius *Epiſcopatum* deglutiunt. quod meo quidem judicio, quicquid illi exiſtimant, nihilo levius crimen *ſacrilegio* eſt, cùm Deum omnium datorem fraudent illa portione, quam olim pio animo Eccleſiæ & *Prophetis* donantes Ipſi gratè viciſſim retribuerunt, qui per manus hujuſmodi *Calicem frigidæ* libamentum ſibi eſſet accepturus.

Porro aliud eſt mihi vinculum particulare, *Iuramentum* judicio meo conſonum, quo me conceptis verbis obligavi ad tutandum hoc *Regimen* & *Iura Eccleſiæ*.

Quo tamen Juramento haud difficulter forſan exolvi poteram (ut, errore, ſuſcepto) ſi mihi

mihi plane conſtaret eſſe *ordinem* illicitum vel (quæ audax quorundam ſed infirma calumnia eſt) *Antichriſtianum*. Cùm verò exquiſitiſſima veritatis exploratione habita magis indies magiſque confirmor in æquitate & pietate eorum in quæ juraverim, certe nemo, niſi qui animæ meæ perniciem ſtruit, in hæc duo tam atrocia ſcelera, *Sacrilegium* nempe & *Perjurium* ſe hîc invicem trahentia impellat: mitto hîc perſonales injurias in plurimos de me optime meritos, qui haud minore Iure ſuis gaudent fortunis, quàm, qui Illos privare ſtudent propriis ſuis patrimoniis, quique nulla adhuc lege convicti ſunt eorum criminum, ob quæ prædiis ſuis & Bonis cæteris mulctari mereantur.

Sæpe equidem demiratus ſum iſtos homines magnam *Conſcientiæ* teneritudinem & *Reformandi* ſtudium præ ſe ferentes, id mihi velle perſuadere, me *Iuramento Coronationis* meæ obſtrictum in quæcunque ab illis propoſita *conſentire* debere (quod vehementer urgent) utcunque *Rationis* & *Religionis* libertati contraria, (quam certè tueri omnes debent, & de qua Ipſi in ſuffragiis ſuis tam impenſe cavent) eodem ſimul tempore affirmantes irrritum me facere oportere, & apertè violare illam partem Iuramenti, qua, ſecundum optimum *Rationis* & R*eligionis* lumen, Regimen Eccleſiæ, & Legitima ejus Iura *tueri* obſtringor. Mirum ſane, in hæc ſolum *valere Iuramentum* quæ mihi & cæteris in eadem conditione verſantibus iniqua prorſus & injuria videntur (cum

anima-

animarum eſſentiali libertati directe repugnent irritum tantùm in illâ Clauſula & invalidum futurum, quâ me Deo & Hominibus jure obligatum exiſtimo.

In hoc tamen equuleo jam diu verſor, quid ambitioſâ illorum avaritiâ, quid Sacrilegâ aliorum crudelitate diſtentus qui Me & *Regnum* & *Eccleſiam* couſque civilibus diſſidiis lacerare certi, dùm me in ea aſſentiri cogant & palam comprobare, quæ (Deus novit) improbo maximè, & ex animo deteſtor (ut multimodis *Religioni* tum *Rationi* etiam & *Iuſtitiæ* adverſantia) quibus tamen etiamſi cum pudore meo & infamia conſentirem, haud utique illis ſatiſſacerem, qui Conſiliis & opinione diverſi non contra me magis & Epiſcopatum, quàm intra ſe invicem pugnant..

Quod verò *Scotis* haud ita pridem in *Eccleſiaſtico* Re*gimine* morem geſſerim, nullo modo rectè urgetur, ut in Regnis meis cæteris id propterea admitterem. Hoc enim debent cogitare, haud ita altas unquam radices egiſſe, vel ſtabilitum in *Scotia* Epiſcopatum fuiſſe, prout fuerat in Anglia, atque adeò me neutiquam obligari ad *hunc* pariter in utriſque Regnis *tuendum*; Quod enim meâ ſententiâ *optimum* eſt, haudquaquam omni *loco* & *tempore* abſolutè *neceſſarium* exiſtimandum eſt.

Hanc autem in Illos *indulgentiam* ſi quis *errorem* meum aut *peccatum* dixerit, facile agnoſcam: peſſimè verò hinc argumenta colligunt, idem iterum faciendum, vel potius mul-

to

to deterius, cùm de his forſan quam antea exploratiùs jam conſtet, quin nec illa ipſa conceſſio ita ceſſit fæliciter, ut animum mihi addiderit porrò aliis concedere.

Si quid hîc magis Chriſti in his Novos Modos affectantibus *lenitatis* ſcilicet & *Juſtitiæ*, ſi quid *ordinis* magis aut *Charitatis*, aut obedientiæ conſpiceretur, ſuſpicari forſan poteram judicium meum affectu aliquo præoccupatum aut diverſum ſentiendi conſuetudine inflexum: Cum verò juſtis ita cauſis adducar ut de his longè credam contraria, haud ſperare poſſunt his moribus Novæ ſuæ Regiminis Formæ exiſtimationem acquirere.

Sed nec in aliis etiam quibuſcunque Eccleſiis (quarum exemplo ſic plauditur, quodque in illas à Me regnatas omni vi importare contendunt) quicquam adhùc compertum eſt vel doctrinæ uberius, vel Religionis, imo nec ulla pietatis aut Charitatis opera ita eximia præ noſtris ſub *Epiſcopatu* agentibus (quibus Dei benedictio in hac parte non defuit) ut ex his omnino adducar credere vel *Presbyteriſmum* vel *Independentiam* benignius in corda & vitas hominum, quam *Epiſcopatum* rite habitum influere.

In quem ſi *abuſus* fortè aliqui irrepſerint, horum fiat exterminatio, *uſu* adhuc Illius retento. Multo enim ſatius duco *Primitivæ* & *uniformi Antiquitatis* veſtigiis inſiſtere, quàm *diſtractæ Novitati* manus præbere.

Rectus certè Epiſcopatus juſtis omnium deſide-

deſideriis ſatiſfaceret, quicquid boni *Epiſcopi*, vel *Presbyteri* humiles, vel modeſtia *populi* exoptet, ut ſic Re Eccleſiaſtica nec per *Tyrannidem*, nec *Paritatem*, nec *populares Tumultus* adminiſtratâ evitentur hæc maxime pericula, ut vel ejiciantur Epiſcopi, vel ſpernantur Presbyteri, vel ſit populus vexationibus obnoxius.

Et in hac *Iudicii* & *Conſcientiæ* meæ Integritate Deus me (ut ſpero) cuſtodiet.

Tu enim Domine, noſti Integritatem meam & teneritudinem, qui cum me Fidei Defenſorem & Eccleſiæ *Tutorem poſueris, ne me ullâ violentia patiaris adverſus Conſcientiam impelli.*

Exurge, Domine, protege cauſam tuam, ne deformetur tua Eccleſia manca facta illo Regimine, quod ab Apoſtolis derivatum primitiva & puriſsima tempora conſervarunt, nec proventus Eccleſiæ fiant ſæculari invidiæ obnoxii, quæ jam omnia illi quærit eripere Doctrinæ & pietatis incitamenta.

Me vero cum bono illo Samaritano *miſericordem efficias, & afflictæ tuæ* Eccleſiæ *ſubvenire promtum, quam à nonnullis vulneratam & ſpoliatam cæteri negligenter prætereunt, nulla omnino miſeratione aut ope adhibita.*

Poteſtas mea à Te derivata, fac (tua Gratia juvante) ut pro te maximè exerceatur; & quanquam cætera mea Iura *Regia amplius mihi in præſens non permittantur, uſque tamen cuſtodias in illa* Rationis *libertate & Religionis amo-*

re,

re, & in Eccleſiam ſtudio, quæ in Conſcientia mihi ut Chriſtiano altè inſidunt.

Cuſtodi à ſacrilega deprædatione benedictiones illas temporales, quas Eccleſiæ Tua *providentia in Gloriam Tuam diſpenſavit.*

Ignoſce qui flagitiis ſuis & erroribus hanc ſunt maximè pœnam commeriti, ut ſic Aprum de Silva, *&* aſtutos vulpes *exterminare patiaris vineam tua dextera plantatam, & diu rore cœleſti in fœlicem fœcunditatem irriguam.*

O ne illa infami nota in æternum maculer, primum me Regem *Chriſtianum hujus* Regni *extitiſſe, qui in Eccleſiam opprimendam, & una Patres Eccleſiæ conſenſcrim, quorum omnium errores maluerim* Conſtantini *illius exemplo ſilentio velare, aut lenitate corrigere, quam perſonas eorum & ſacrum Munus ludibriis vulgi exponere.*

Vides (Domine) quid pro Tua Eccleſia, & quid una cum Illa paſſus fuerim, ne tardaveris Domine Illam ſimul & me liberare, à perverſis hominibus quorum & pepererunt Conſilia, & jam uſque parturiunt confuſiones, cum antiquos illos limites intra quos ſtetit pax Eccleſiæ ita omnes veſano impetu dirimant, omne genus erroribus, Schiſmatis, & diſſolutione introductâ.

Tu vero Deus veritatis & ordinis, hanc in bono tempore tuo compeſce malitiam, furorem mitiga, & confunde ſceleratas eorum machinationes, qui & tibi & Mihi, & Eccleſiæ Tuæ juxta inimici.

Ut & ipſe, & qui amant Eccleſiam Tuam Pſallamus tibi, & magnificemus ſalutare tuum coram filiis hominum.

18. *De*

18. *De Tractatu* Vxbrigenſi, & *Conditionibus à* Rege *latis*..

PErinde mihi videntur *Tractatus*, ac, ſi qui miſſo *ferarum* ritu pugnare, jam diſceptare incipiant ut *homines*, quorum robur certè plus in ingeniis eſſe oportet, quam in *Membris* ſitum.

Quanquam raræ ſic agenti oportunitates adfuerint, nunquam tamen defuit vel affectus vel ſtudium, ut qui ſemper minus *Gladio* meo quam *Rationi* confiſus, ita hîc penitus cedere potiori ſtatueram, ut nil opus illo poſtea arbitrarer, modo nos invicem cognoſcendi & perſpiciendi copia daretur.

Quod autem ſtudium meum in hac parte palam fecerim, atque illos aliquoties de *Tractatu* interpellaverim, haud me quicquam exinde imminutum credidi, cùm non magis ſit *Hominis* Ratione potius quàm vi agere, quàm pacem quærere & conſectari, *Chriſtiani*.

Cum enim *Arma* perinvitus in defenſionem meam tantùm ſumpſerim, omnia ad *pacem* facientia libenter amplectar: Omnes Belli eventus triſtes, Civilis triſtiſſimi, ſine vix compenſante & ſerò reparante Mediorum mala.

Nullo

Nullo unquam ſucceſſu inflatus carius ideò *pacem* deſtinabam, quam vehementius omnibus concupivi, licet à me cariſſimè redimendam: *Honorem* meum tantum & *Conſcientiam* peculiares mihi volui ſervare, cum *illum* quidem Regi, *hanc* Chriſtiano nefas eſſet deſerere.

Tractatus vero iſte *Vxbrigenſis* ſpem mihi maximam fecit fælicioris eventus, ad quem ſi alii eandem mecum moderationem attuliſſent, proculdubio finis Bello fuiſſet impoſitus.

Eouſque enim cedere volebam, quoad *Ratio*, *Honos*, *Conſcientia* permitteret, nec quæ reſtabant controverſiæ tanti erant, vel in Rem Populi tam neceſſariæ, ut *ſecuritati* ſubditorum meorum aut *fælicitati* obſtarent, quorum utraque multo melius gaviſi fuerant annos ante complures quam hæc omnino poſtulata naſcerentur, è quibus nonnulla repudiando, & mihi Ipſi jus facere, & ſubditis meis gratum arbitrabar

Nimis vero conſtat, haud ita facilè *mitigari* ſuſpiciones ac primo *excitantur*. Major enim nonnullis timor eſt, ne à violentis fœderationibus quibus jam ſunt impliciti *diſcedant*, quam erat olim ne ſe his *implicarent*: quod deeſt æquitatis pertinaciâ ſupplent; Ipſi videlicet quiquibus modica admodum res fuit, quâ vel in pace *gauderent*, vel Bello *perderent*, illud ſedulo agebant ut ipſum Nomen *Pacis* ſuſpicioni & odiis obnoxium redderetur.

In

In rebus *Eccleſiaſticis*, ubi tot ligaminibus *Conſcientiæ* aſtrictæ minima erat deliberandi libertas,eo modo ſancire placuerat,quo abunde eſſet omnibus ſatiſfactum ,quos non Factio aut Avaritia, aut Superſtitio denique, quam Zeli fervor aut charitas aut Reformationis ſtudium impulerat.

Promptus eram omnia largiri quæ ſynceram pietatem promovere viderentur, ea ſolum *retinendi* cupidus quæ in ordinem præſidium & Authoritatem *Eccleſiaſtici* Regiminis neceſſaria, & quæ perſuaſiſſima habeo (prout alibi me uberius explicui) veris omnis Politiæ principiis,(etiam quæ conſummatiſſimæ ſunt) conſentire, tum Primitivo imprimis & Apoſtolico *Exemplari* & Primitivæ Eccleſiæ *Praxi*.

A quâ ut penitus diſcedatur, in eorum tantum gratiam qui nec quicquam probabile pro ſuis afferre, nec vel uni objectioni reſpondere valent (ſed perverſa voluntate acti, nec inter ſe fere aliâ re concordant quàm quòd utrique eradicandum *Epiſcopatum*, & contra *me* pugnandum ſimul cenſeant) eam animi mollitiem & imbecillitatem arguet, quæ à *Dei veritate* potius quàm à *pace humana* depelli voluit, & *Eccleſiaſtici* Honoris naufragium facere, quàm factioſis quorundam ſtudiis adverſari.

Quorum interim vitio ita male ſucceſſit hic *Tractatus* & qui ſequentium calamitatum crimen maximè ſuſtinent,Deus novit,& Tempus patefaciet: Me (credo) coram Deo & in

corru-

corruptis hominibus (qui hæc ſeriò expenderint) liberari, qui non minori ſtudio adlaboravi *pacem* Populo meo reſtituere, quàm ipſas meas *Coronas* Poſteris meis incolumes ſervare.

Eâ ſunt arrogantiâ nonnulli, ut omnes hujuſmodi *Conceſſiones* in Imbecillitatis argumentum ſtatim trahant, & tunc ſe rigidos maximè & pervicaces oſtendunt, cum alios flecti faciles, & de ſuo remittentes, invenerint.

Hæc Illis pars magna *Prudentiæ*, aliquid ſemper *ultrà expoſcere*, quam *Æquitatis* aut *Honoris* Ratio concedat, ut iſto ſaltem colore alia omnia *Conceſſa* repudient; tam iniquis plærunque *pacis* conditionibus ut præ his leve ſit quod in *bello* deterrimum. Cum id unicè ſemper egerunt, ut inhoneſtis *Conceſſionibus* me primùm jugularem, quò minus Ipſis reſtaret conficiendum.

Prorſus nihil amplius vel in hoc *Tractatu* vel in alio quovis effectum eſt, quàm ut Orbi conſtaret, quo utrique animo eſſemus in *Pacem* Publicam: Ipſe, nihil fere *negare* promptus, Illi nihil *concedere*.

Duriores hinc factos nonnullos, pravis eorum ingeniis imputandum eſt, haud, â Me tunc *Conceſſis*, vel *Negatis*. Me nunquam pigebit *conditionum* quas detuli, culpa eorum ſit & pudor qui recuſaverant.

Haud evexit me unquam ſecundiſſimus Fortunæ curſus ne *Tractatui* auſcultarem, nec ita hactenus reciprocaverat, ut non poſſem *Armis* contendere, licet nunquam id veræ fortitu-

fortitudinis duxerim vitas hominũ malle prodigere, quã, collatis utrinq; rationibus, ſi opus eſſet alienis ſubſcribere.

Quod verò de plæriſque *Tractatibus* peſſimè ominarer, inde erat, quod tam inviti ad illos trahebantur, quo tacitè licet indicabant, quædam *gladio* eſſe impetranda, de quorum iniquitate diſputatum nollent, quæque inter *Milites* agitati, quàm *Conſiliis* aptiora.

Deus illis ignoſcat, qui diſſolūti hujus *Tractatus* rei fuerant: & id gratiâ ſuâ in iis efficiat, ut jam Bello potiores fortunæ ſuæ opportunitate ad moderatius agendum utantur, ut quæ hactenus ob peccata noſtra *Pax* merito dilata eſt, fœliciter tandem procuretur, dum, quod *Tractatu* non licuit, *precibus* ſaltem conſequamur.

Tu O Deus Rationis & Pacis qui nec Ipſe dedignaris cum Peccatoribus agere, ultro pace oblata præveniens, & ut velint tecum in gratiam redire obteſtans, quos & potes, & juſtè potes perdere, ni miſericordia in ſalutem abundares, emollias corda noſtra Redemptoris noſtri ſanguine, quo & pacem tuam accipiamus, eamque rurſum inter nos invicem (quod Chriſtianos decet & homines) procuremus ſimul & conſervemus. Quoties pacem obſecravi? Sed cum loquor de pace, ipſi ad bellum parati ſunt.

Ne dedas nos Impotentiæ affectuum, & nobis, & aliis exitioſæ.

Purga noſtros Intellectus, ut veritatem tuam videant, tum Rationis ut homines, tum Religionis ut Chriſtiani: & ſic omnium corda inclines, ut ſervemus unitatem Spiritus in vinculo pacis.

Tolle illam in te Inimicitiam, cordibus noſtris nimis inſitam, & illam indas charitatem, quam exercere mutuo debemus.

Remove quæ ita valde commeriti ſumus Belli mala, & illam Pacem *largiaris, quam Ille noſter* Pacificus *Chriſtus unicè poteſt mereri.*

---

19. *De vario* Belli *ſucceſſu*, Victoriis & Cladibus.

V*Arii* hujus Belli Infœliciſſimi *Eventus* occaſionem ſuggeſſerunt *varia* meditandi. Placuit Deo nõnunquam experiri me *victoriis*, fuſis hoſtibus & profligatis, eo fine, ut diſcerem ſimul gratè agnoſcere & moderatè uti ea Ipſius Potentia, qui eſt vere *Dominus exercituum*, potens (ubi collibuiſſet) reprimere

mere fiduciam contra me pugnantium, *Numero* ita & *Viribus* ſuperiorum.

Ab exiguis admodum initiis aucto, ſatis oſtendit, me non penitus ita populi mei amore, & Illius præſidio deſtitui.

Alibi exercebat Patientiam meam, & docebat non in *bracchio Carnis*, ſed in *Deo vivente* confidere.

Valuerunt aliquoties *peccata* mea contra cauſæ *Iuſtitiam*, & qui mecum tunc erant, argumentum abunde & occaſionem ſubminiſtrabant feverè utroſque caſtigandi. Pœna interim hoſtibus non minor, qui ſecundis rebus indurati, magis hanc ſuæ cauſæ iniquitatem aſſeruerunt, & (quam *licentia Tumultuum* Parlamentis indigna inchoaverat) jam apertiùs *Armis* promoverunt.

Nocent ſæpe *Publicæ* Cauſæ *Privata* flagitia, nec qui vulgo generoſi & fortes audiunt, idonei ſemper à Deo habiti qui Juſtam Cauſam Bello propugnent: Quo enim proclivior quiſque eſt ſuæ Arti, Conſilio, aut Virtuti tribuere, eò minùs (in ſuam Gloriam) Deus per Illos operatur.

Illud conſtat malè admodum ex eventu æſtimari vel *Iuſtitiam* Cauſarum, vel Conſcientiæ *Pacem*, vel in quem ſtatum Animæ noſtræ in futurum mittuntur.

Qui à Mea Parte ſtabant, clarè (credo) & indubiè Dei *Verbum*, & *Leges* Regni, tùm *Iuramenta* ſua porpria omnia à ſe conjunctim ſtantia habuerunt: his enim omnibus præcipitur juſtis meis Imperiis parere; nemini certe conceditur extra meum Conſenſum, nedum contra me, arma ſumere.

Illi ex parte adverſâ, ad neſcio quas confugiunt prætenſas formidines, & diſſolutiſſima Status (ut vocant) *Fundamentalia*, ea ſcilicet quæ præſentem Statum *Eccleſiæ* & *Regni* evertunt; quædam porro hîc afferunt *Sui in defenſionem* argumenta futilia & imaginaria, quæ etiamſi vera eſſent, minime omnium ab illis urgenda, qui cum mei Subditi eſſent, Me & Leges meas primi impugnabant, turbas illas initio non coercentes, mox etiam conſcripto Exercitu. Ejuſmodi certe argumentis, cuicunque Factioni licebit (vires modò adſint & fiducia) quæcunque contra Leges extantes & Magiſtratus poſtulant, ea Gladio demùm expugnare. Nunquam enim tàm commodè erunt res conſtitutæ, ut non aliqui ſaltem offendantur, & quod Ipſis reformandum videbitur ad Rebellionem uſque proſequi incitentur, accedentibus præſertim *paraſitaſtris* Concionatoribus, quales hi qui *Martyres* apellare

pellare audent, qui contra *Me* & *Leges*, nec minùs *Iuramenta* ſua *Religionémque* pugnantes occubuerunt.

Probè verò intelligunt Boni *Chriſtiani*, iis duntaxat *inclytum* hoc *Nomen* tribui, qui Dei veritatem & quæ ſpeciatim hîc debent officia vitâ ſuâ habent potiora, cæteriſque in Mundo chariſſimis; qui nil ſibi privatim è rebus novis quærentes id ſolum piè cogitabant, quibus animarum vinculis, Deo, Mihi, & Eccleſiæ, obligati erant in obſequium ſimul, & auxilium.

Deus ſuâ miſericordiâ potuit donare, & donavit proculdubiò multos vitâ æternâ qui in juſta cauſa obierunt. ipſo illo *corporum* interitu in Salutem *Animarum* Sanctificato, vulneribuſque & clade *temporali* viam quaſi ad *æternam* felicitatem ſternente; dum certa mortis approximatio ita corda eorum in eam fidei diſponeret humilitatis, pœnitentiæ capacitatem, quæ juſtiſſimæ cauſæ conjuncta in meliorem multo vitã præpararet, quàm vel nefarii illis hoſtes adimere, vel ſibi ipſis ſine pœnitentia ſperare potuerant.

Sæpe (fateor) in *prælio* ſuperiores fuere noſtris partibus; nunquam ita apud Dei *Tribunal*, & conſcientias ſuas futuri, ubi certe haud eâdem fiduciâ cominùs ibunt tot perſpicuis rationibus, (à Le-

ge *Iuramento Fidelitatis* & Chriſtianæ *Religionis* fundamentis contra cunctis militantibus (quibus intùs jam agitantur, & ſe in corde ſuo accuſant) quâ olim acti vecordiâ, in quas Deus mihi dederat copias impetum fecerunt.

Horum ſors utcunque ærumnoſa, oppreſsis plærisque aut extinctis, (haud dubito) longè optabilior eſt pio homini, & mentis bene ſanæ (cui officium ſuum & ſalus Animæ præſentaneæ hujus vitæ oblectamentis potiora) quam omnes Hoſtium noſtrorum Triumphi & Gloria, qui vix fieri poteſt ut effugiant quotidianos illos horrores, quibus (ſemper ambiguæ, nunc vero palam convictæ) conſcientiæ Illos perſequuntur, præſertim poſtquam Orbi jam ſatis conſtet, quàm falſi penitùs & ab animis Ipſorum alieniſsimi illi primò ſparſi Prætextus fuere, quibus forſan ſpecioſum aliquid inerat, nil, quod juſtè excuſaret vel hæc *Arma* moveri, vel in illis tam diù perſtari, contra Me & Leges ſancitas, in quorum utriuſque conſervatione omnes probi arbitrantur *publicam* maximè *ſalutem* conſiſtere atque adeo *propter* ſimul & *cum* illis honeſtius multo & fœlicius ducunt *occumbere*, quam per Ruinas has *creſcere* & *extolli*.

Sæpe

Sæpe id precibus à Deo expetivi, ut qui mearum partium eſſent, veram *pietatem* cum *obſequii* ſenſu conjungerent & in *Deum* æque atque *animas* ſuas extarent ac in *Me* fideles, ne quæ hîc deliquiſſent, cęteros illos conatus prorſus irritos efficerent.

Nunquam tamen exiſtimabo ullam in parte adverſa non prætenſam modo, ſed veram (ſi fuiſſet) pietatem, vel excuſare omnino, vel compenſare poſſe illa *Obſequii* & *Fidei* diſpendia quæ mihi penitus deberi ita manifeſtè evincuntur conſcientiæ hominum, ut hac ſola permoti homines (alias prophani ſatis) vitas ſuas mei cauſa periculo objecerint.

Nulla mihi unquam victoria ſine dolore meo obtigit, nempe in Subditos meos parta, quorum plurimi nimis vereor cum *Abſalone* in peccatis ſuis perierunt. Nec vero fuſus unquam prœlio de Miſericordia Divina, & præſidio deſperavi.

Nunquam certe ejuſmodi victoriam optavi, qua Leges & Libertates Populi Mei *vincerem* magis quàm *reſtituerem*: has enim utraſque ſimul cum Jure meo vehementer oppreſſas videbam ab iis ipſis hominibus, quibus Juſta omnis cöercio gravis erat.

Dante interim vel negante victoriam Divinâ Providentiâ, id unicè duxi cavendum ne vel de viribus meis gloriarer, vel *Deum ſtulte aſpergerem*, quem credebam etiam aliquando in bonum omnia converſurum.

Nihil aliud mihi è Bello inſuper accedere optabam, quàm ut Hoſtibus meis *modum* imponerem, Amicis *pacem* darem.

Expavi tentationem integræ nimis victoriæ: nec id magis ſum à Deo precatus, ut *Hoſtes* meos, quàm ut *Meipſum* vincerem. Illud Deus negavit, hoc dedit, quod mihi optimè vidit expedire.

Varii Rerum *Succeſſus* erant diverſæ *Methodi* Divinæ *Juſtitiæ*, his quaſi ventis contrariis excutere nos volentis & repurgare, ut puniendo peccata noſtra, puros ſimul illis præſtaret, & ita animos noſtros erudiret, ut futuras benedictiones & *æſtimare* melius poſſemus, & rectiùs *uti*.

Cùm illos toties de *Pace* interpellaverim, ſatis patet *Bellum* mihi haudquaquam voluptati fuiſſe; quemadmodum & Superiores meæ *Conceſſiones* indicabant quàm libenter illi obviaſſem, & ſic ab omnibus eſſe imparatum, erat illius qui nec de Bello cogitâſſet.

Vetuit Me Conſcientia Innocentiæ meę quicquam à Bello *metuere*; ſed amor Populi

Populi exegit, ut quanquam fas eſſet *deſugerem.*

Ea mihi in hoc *Bello* culpa præcipua eſt, quod nonnullis plus nimio indulſerim, confirmando hanc illis poteſtatem, quâ, eâ modeſtia & gratitudine uti nolebant, quæ eorum tum fidem, tùm fiduciam meam decuiſſet.

Si parciùs *dediſſem*, parciùs forſan *oppugnaſſent*: ſi *plus* negaſſem, *plùs* fuiſſet obſequii.

Serò jam recenſemus cauſas Belli. Illud unice exopto, ut ſit *fælix* tandem exitus *infælicium* cœptorum. Ea ſors Inevitabilis peccata noſtra exſpectabat, ut non ampliùs quieſceret Divina Juſtitia: victa primò Dei patientia in ea nos ſupplicia damnavit, ut alternantibus victoriis mutuò collideremur: utriuſque enim Partis *proſpera*, Publico *adverſa*.

Miſeræ vero omnes *Victoriæ* quæ peccata adhuc relinquunt *indomita*, queîs effertur inſolentiùs ſuperbia, & ad cumulandas injurias animatur.

Quin nec *Pax* Ipſa expetenda eſt, dum nos in Illam *pœnitentia* præparaverit.

Cum adverſus Nos Ipſos *magis*, & in Deum *minùs* pugnare didicerimus, his invicem pugnis abſtinebitur. Sanæ hæ

utinam cogitationes in cordibus noſtris coeant, ut meliùs ſatagatur *Belli* hujus Infœlicis periodus: & diſcamus utrimque, Ego *Deo* obtemperare, & P*opulum* regere, Illi & *Deo* & *Mihi* parere; nec Mihi ampliùs *pareri* poſtulo quam Deo ſimul *pareatur*.

O Deus Meus, fac ut æquo animo vincar, cùm ſic Tibi placuerit.

Doce Me (quæ pulcherrima omnium victoria eſt) meipſum vincere, & Hoſtes meos patientiâ. Sic enim Chriſtus vicit, atque adeò nec R*ege Chriſtiano indignum.*

Inter utramque Manum tuam, ſublevantem dexteram & prementem ſiniſtram, in illam formes pietatem quæ tibi maximè grata eſt futura.

Ignoſce ſecundarum rerum comiti arrogantiæ, & in adverſis non minus, querimoniis & ſtomacho, quoties in fiducia virium noſtrarum incedentibus tu vim tuam meritò ſubtrahis, nec inter copias noſtras unâ egrederis.

Eſto Tu Omnia, ſive Nos aliquid, ſeu nihil ſimus, & ſeu victores ſeu victi tibi Gloriam tribuemus.

Tu Domine noſti quantâ animi moleſtia hæc à Subditis meis mala perpetior, quibus optima ſemper concupivi, & ob hanc cauſam, maxime ſentio quæ me cogunt ſibi mala facere, dum eorum luam ſupplicia.

Cùm

Cùm ergo victor ſimul & victus utrinque plectar, dones me geminata Spiritus tui portione, & ea gratiæ menſura quæ mihi ſola ſufficiat.

Quemadmodum me habuiſti miſerrimum, ita maximè facias reformari; ut non ſolum eò fælix ſim, ut civilium diſsidiorum finem videam, ſed Inſtrumentum etiam fiam præcipuum rediture Pacis, *& in* Regnis *meis fæliciter ſtabiliendæ.*

Sit diverſarum Partium *una æmulatio, ut ſe invicem ratione, & moderatione animi exſuperent, & ea poſtremo ſui abnegatione, quæ deceat illos qui cogitant mutuis noſtris diſsidiis ſcindi publicum, & id Bonis maxime expedire ut ſit omnium concordia.*

Sin Tu (Domine) qui ob peccata noſtra calamitates Belli induxiſti, pergas adhuc ob peccata Belli fælicitatem Pacis *denegare, & nos uſque detinere in calamitatum circulo, des* Mihi *tamen Famulo Tuo & fidelibus meis (licet oppreſsis) Subditis ea tandem pace frui, quam nec Mundus dare poteſt, nec eripere.*

Ne Mihi *ſanguinem Subditorum meorum imputaveris, animo valde reluctanti, & dolore ſummo effuſi in illa juſta mea & neceſſaria defenſione, ſed me pretioſo illo lava Sanguine, à Magno illo* Pacificatore *Ieſu Chriſto propter Me effuſo, quem Me brevi confido ex his omnibus anguſtiis liberaturum: novi enim Iubilationem Impiorum brevem eſſe, & gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti.*

20. *De Reformationibus* Temporum.

NUlla adeô invidenda eſt Gloria, quâm quæ ex debita Eccleſiæ vel Status *Reformatione* acquiritur, niſi cùm ſint deformitates ejuſmodi, ut ipſa Motum incidentium, & Novitatum incommoda bonum Reformationis exſuperent.

Hunc licet mihi Deus honorem negaret, ut Inſtrumentum fiam tam præclari *Operis*, quoquo modo tamen effectum lætarer.

Grata ſanè in initio *Parlamenti* hujus ſtudia fuere, ut quicquid *Temporum* Indulgentia, vel corruptela *morum* pravi induxerat *reformaretur*: jam non minùs diſcrucior, cùm his Turbis Factionum libertatem *Parlamenti* oppreſſam videam, cumque Legum extantium, & Religionis ſancitæ (quę Menſura & Canon *Reformationis* eſſe debuerant (nullam prorſùs rationem haberi, & eâ porro iniquitate,

tate, & populari aſſentatione Affectibus quorundam & Opinionibus obſequutum in detrimentum Publici, & *Reformatæ* Religionis ingens Scandalum.

Quanta enim hinc continuò facta eſt omnis Ordinis & Regiminis Eccleſiaſtici *diſſolutio*, quæ Novitatum, Schiſmatum & corruptiſſimorum Dogmatum licentioſa *invectio*, quæ in Sacris Adminiſtrationibus *Indecentia* pariter & *Confuſio*, quæ in Jura & Fundos Eccleſiarum *Invaſiones* Sacrilegæ, qui Cleri *contemptus* & *contumeliæ*, quæ in Me denique *dehoneſtamenta* & *injuriæ*, omnes ſtatim ab hoc ſtrepitu *Reformationis* inſecutæ (ut à calidis Radiorum ſtricturis magni imbres) omnes mecum unà ſaniores teſtes erant mœſtiſsimi & ſpectatores.

Omnium vero Errorum origo eſt, quod Populares ferè clamores & Furor, vulgo *Zeli* famam, & *Communis* omnium *Voti* obtineant, unde paucis placendi ſtudio publicè omnes plærunque læduntur.

Certe optimè tunc *initur* Reformandi ratio, atque optimè demum *perficitur*, cùm moderatè & libere, & nullis Partium ſtudiis proſequamur; contrà Factioſæ molitiones multo plures *offendunt*, quam *placent*.

Ultro me paratum oſtendi omnes in

Re

Re Eccleſiaſtica, & Religione diſcrepantias, liberæ Synodi conſultationi, vel *Convocationi* rite electæ permittere, cujus tandem decretis (cnm omnium eſſent ſuffragia incluſa) veriſimile eſt omnes acquieturos.

Conventum illum *Theologorum* quos (more quodam inſolito & extraordinario) *Domus Vtraque* ad deliberandum de *Eccleſiaſticis* adhibuerunt, hactenus tantùm ňon probo, quôd nec legitime *congregati* nec *electi* fuerint; nec totîus Cleri *Angliæ* partes ſuſtineant, neque omnino liberè & incorruptè agere poſsint, cùm (etiamſi nulla alia vis fieret) intra certos tamen limites & fines conſtringantur.

Illud enim haud facile credam, tot homines doctrinæ & pietatis nomine inſignes, qui *Liturgiam* & Regimen *Anglicanæ* Eccleſiæ haud ita pridem (in præcipuis) probaverant, adeo derepente conſenſuros in *utrunque extirpandum*, (cum Illud ſaltem ignorare non poſſent ſi non *Apoſtolica* inſtitutione, at *Primitiva* & *Vniverſali* Praxi defendi) modo integra fuiſſet ſuffragandi libertas, nec Diverſæ Factionis potentia occultas ſpes & metus inſtillando in eos tandem valuiſſent, ut has ſimul promoverent pleniſsimas periculi Novitates, nullo reſpectu

eſpectu habito ad ſuperiorem ſuam *Sententiam* & *Praxin*, vel ad rem & exiſtimationem totius Cleri communem, ſpretâ Ordinis, Doctrinæ, & Religionis curâ, contra omnia denique Veterum Eccleſiarum *exempla*, Leges R*egni* conſtitutas, & conſenſu m *Meum*, qui certe nunquam impetrabitur adverſus claram illam lucem, quâ Intellectus meus in hoc Articulo illuſtratur.

In rebus enim ejuſmodi, quæ non perindè ex profeſſo *rationi* aut *Fidei* aut Bonis *Moribus* adverſantur, & circa quæ in Scriptura haud ita clarè & diſtinctè præcipitur, ibi certe perpetua & univerſalis *Praxis* Eccleſiæ optima eſt quam ſequamur R*egula*.

Quod ad me attinet, promptus eram vel donare *Presbyteratui* vel reſtituere, quicquid *Epiſcopatui* conjunctus intra R*ationis* & *Prudentiæ* terminos poſtulaſſet: ut vero ita penitùs invadat illam Poteſtatem, & Gladio afferat, & *Antiqui* illius *Ordinis* Jura *aboleat*, id neç juſtum in *Epiſcopatum* nec *Presbyteratui* tutum exiſtimo, nec ullo modo vel *Eccleſiæ* vel R*eipublicæ* convenire.

Moderata certe conſilia haud difficulter ſecuta fuiſſet debita R*eformatio*; atque ea forſan quæ longè gratior fuiſſet iis Ipſis *Theologis*, qui ipſi priùs decepti multa

multa poſtea Gravitatis ſpecie aliorum conſilia promovebant quæ haud dubiò jam ſatis detexerunt, licet ſpes ſuas deluſas & offenſam præ metu diſsimulent.

Specioſa vero illa & Popularia Chriſti ſcilicet *Gubernationis, Throni, Sceptri, Regni* (quod certè nunquam dividitur, nec quod iſtorum eſt bifrons) tum illud *Integræ* & *Abſolutæ Reformationis* æquè facile eſt cuivis Novæ Formæ appingere, quam pulcherrimos colores deformi Imagini.

Feneſtras interim in Eccleſiis (ſatis tempore deformatas) confringere, Cruces etiam (quæ Civilia apud nos monumenta potiùs quàm Religioſa) evertere, Buſta mortuorum violare & Epitaphia eradere, quibus ſolum admonebantur Poſteri quas Deo debent gratias in majori luce verſantes Omnes porro Miniſtros Sacris publicè operantes ſuo penitùs arbitrio, & (quâ privatim pollent, Facultati permittere (ut meritò ambigat Chriſtianus, quibus tandem Amen ſubjiciat, vel, ne forte cum periculo in errores aut Blaſphemia conſentiat, vel inſulſa forſan alia aut ridicula, ab audacibus plærunque & indoctis temere inter Preces officia & Cōciunculas jacta) quin edere paſſim Catechiſmos,

chiſmos, & Confeſſiones Fidei reconcinnare, quaſi nulla priùs extitiſſet in hac Eccleſia doctrina ſana omninò aut perſpicua circa vel ipſa Fidei elementa, quàm Quinquennii hujus proximi deliberatio hoc negotium integrè maturaſſet:

Iſta quidem omnia & his ſimilia, quæ vulgò fieri ſolent (ne nil facere videantur) ab his *Reformationum* larvis quibus brevē aucupantur Plebis Gratiam (quæ his Novitatum illecebris non ſecùs ac Pueri Imagunculis *vehementer* quidē ſed non *diù* afficitur) tantum abeſt ut mereantur *Reformationis* laudem, ut reverà (quantum ad *Charitatem*, *Pietatem*, Rectum *Ordinem*, & *Mores* ſpectat) turbida magis omnia & querula & confuſa relinquantur, quàm, ubi primò inchoaverant.

Haud enim facili operâ mala illa priora & detrimenta maxima penſare licebit aut corrigere, ſatis carè ab illis conciliata, & neceſſariò ſemper futura, ni remedia debita adhibeantur.

Id utinam ſeriò tandem & unanimiter vellent *Dei* opus agere, non *ſuum*. Multis ſanè incommodis obviam itum fuiſſet, ſi Religionem (prout dignum erat) *primo* loco ſpectâſſent.

Illud vero haud abſurdè exiſtimaant nonnulli, Eccleſiæ & Status Regimen,

gimen, tot *Legibus* firmatum & diuturna *Conſuetudine* fixum haud ita ſtatim diſfluxurum, & in novas ſuas *Formas* fundi facile, niſi ad Ignem priùs Belli Civilis colliqueſceret, in quo facti potiores, ſtatuerant Mè & Subditos meos univerſos ad *procumbendum* adigere, & *adorandas Imagines* erectas ab Illis & fabricatas: Sin id *Chriſti* Spiritus in horum hominum *pectoribus* (*Charitatis*, nimirum, & *Manſuetudinis* & *Sapientiæ*) inſediſſet, quantum in linguis Nomen *Chriſti* & ipſiſsima *Reformandi* Regula jactabatur, haud dubiè (illius Benedictione) tùm in *Chriſti* Gloriam, tum in Bonum *Eccleſiæ*, Honoremque *Religionis* & Veritatem efficaciùs multo valuiſſet.

Qui *reformare* volunt publicè, in ſe primùm agant, & experiantur in corde ſuo quæ in alios conſtituunt: intus enim ſi quid fuerit deforme, vereor, ut qui de *Publico* videntur ſolliciti, in ea *Privata* Conſilia pertrahantur quæ Publico Bono multùm obſtabunt.

Recta quidem ratio *Reformandi* Eccleſiam minimè omnium conſiſtit cum Civilis Status *perturbatione*, nec oppreſſâ *Fidelitate* crevit unquam *Religio*, cujus hæc pars præcipua & Ornamentum eſt. Proximum enim à præcepto illo *Deum Time*, ſubjicitur *Regem Honora*.

Inſtau-

Inſtaurabitur (haud dubito) *Chriſti* Regnum *Meo* neutiquam *everſo* , & cùm ſtudia & affectus ceſſaverint haud utique *Boni Chriſtiani* cenſebuntur qui *Boni Subditi* eſſe deſierint.

Chriſti certe R*egimen* in *ſtabilimentum* Regni Mei, non in *ruinam* cedet, cùm meum ab Illo acceptum profitear, atque id unicè in votis habeam ut in *Gloriam* Illius & Eccleſiæ *Bonum* adminiſtretur.

Si id ſeriò laboraſſent nonnulli vel quid hoc ſibi vellet intellexiſſent *à Chriſto Regi* , facta illa ſua & dicta diſſolutiora quibus & mihi & ſibi invicem injurii fuerunt, multo rectiùs fuiſſent moderati.

Quemadmodum vero *Boni* Fines nunquam juſta efficient *prava* Media, ita nec ex *malis* Principiis *bona* unquam fiet concluſio, ni miraculo quodam ſuæ Miſericordiæ lucem Deus è tenebris, è confuſione ordinem, & è *perturbationibus* noſtris *Pacem* creare deſtinaverit.

Tu Domine, qui ſolus potes Coronam nobis dare pro cinere, & ſublatâ Hypocriſi veritatem reddere, ne has nobis permittas Phariſaicas ablutiones *pro Chriſtiana* Reformatione *imponere.*

Intus illi ſunt nobis Nævi maximi, & turpitu-

pitudines, fac ut in nos ipſos ſevere agamus, & ab Animis noſtris Reformatio *incipiat, ut perſpicaci Iudicio, & integro Corde accedentes, quæ in Eccleſia aut Statu perperam fiunt, idonei ſimus reformare.*

Cor mundum crea in Nobis Deus & Spiritum rectum innova in viſceribus noſtris, ut tuo ductu ſimul & tuâ Benedictione in Tuam omnia Gloriam faciamus.

Miſerere deformitatum & vulnerum, quæ temerarii & ſævi Reformatores *huic Eccleſiæ & Statui inflixerunt; extingue Factionum flammas ſub prætextu Reformandi accenſas.*

Et quemadmodum per hæc mutuò diſſidia, & confuſiones palam omnibus facere voluiſti quàm ſint pravi nonnullorum fines, & infirma Iudicia; ita ex his flammis educas nos purgatiores, præeunte Chriſtiana magis, & plùs in ſe charitatis habente Reformatione, ubi nihil vindictæ aut ambitus, avaritiæ denique aut ſacrilegii polleat in eorum conſilia, quibus opus tam inſigne & bonum, & jam maximè neceſſarium æquo & licito more peragendum providentia tua demandaverit; ut internæ pietatis fælicitate aucti ego ſimul & populus etiam Pacis externæ beneficio rectius uti in poſterum diſcamus.

21. De *Epiſtolis Regiis* interceptis, & evulgatis.

L*Iteras* meas fuiſſe *interceptas*, opportuna erat Hoſtium Malitiæ, & præter ſpem occaſio, quâ tamen hoeſtè & civiliter uti ignorabant. Nec ſae arbitror, apud æquos & probos æſtiatores quicquam in illis repertum ità ihi in *probrum* ceſſiſſe, quam ſic turpier fuiſſe divulgatas, in eorum *infamiam*. Tunc enim maximè ſe probat virtus, generoſi animi vera indoles, cùm in oſtes maximè liceat, nec ullâ magis huanitate afficimur, quàm quæ ab iis dertur à quibus minimum ſperavimus. Hanc à me gratiam inire poterant chars meas celando: in quibus cum eſſent *eriora* quædam, atque etiam *arcana*, cer aliquid hîc civilitatis neceſſarium duſſent homines non plane Barbari: Nec vera quicquam unquam inhumanius factum

factum eſt, quàm eas publicè omnium exponere.

Cùm verò ſecus vellet Providentia, haud utique moleſte fero Pectus meum (quod Divinæ Omniſcientiæ approbare ſtudeo) palam jam coram Mundo retectum fieri, ſine fucis illis omnibus & ſpecioſis ad populum ornamentis, quæ in Publicis Epiſtolis & Orationibus ſolent. Vtinam vel in penitiſsimos animi mei ſenſus introſpicere liceret Subditis meis; certe nil aliud deprehenderent, quàm quâ curâ & amore diſtractus ſim, non quò Iura *mea* magis, quàm ut pacem *eorum* & fœlicitatem conſervem, & quàm ingenti mœrore conficior, eos ita in perniciem ſuam deluſos.

Nec quicquam ampliùs ex his literis malevolentia ullius conſecuta eſt, quam, quod omnibus notum fecerim quàm conſtanti animo fuerim in *Vxorem* meam, *Leges*, & *Religionem*; Mella legent *apes*, ubi virus ſugit *Aranea*.

Quod explicare me voluerim anguſtiis (in quas me Hoſtes adegerant) licitis & honeſtis Fœderationibus initis, nemo ſane vituperabit qui me amat & Rempublicam, cùm haud fieri omnino poſsit, ut ſint *fælices* Subditi Mei Me *miſero*, vel pace ſua & Immunitatibus Me oppreſſo potiantur.

Satis

Satis patet, ad hoc unicè nonnullos collimâſſe, ut *Abſalonis* exemplo, atroci aliquo facinore latius indies fieret diſſidium, & exacerbatam utramque partem ita à ſe invicem diſtraherent, ut nulla ſpes eſſet poſtea redintegrandi.

Has verò, ut & cæteras Injurias non ſolum (Deo Gratias) æquo ſatis animo ferre poſſum, ſed (quæ mea eſt Charitas) ignoſcere.

Ea interim fuit Animi mei integritas ut non multùm metueret à ſtylo lædi: licet enim arcani fiducia in id genus *Literulis* majorem fortè in ſcribendo licentiam permitteret & malignorum cavillis obnoxiam, nunquam tamen principalis mei conſilii innocentiam vel tam malè intelligere, vel ſiniſtre interpretari poſſunt, ut non omnibus fiat perſpicuum, me nil magis exoptâſſe, quàm ut omnia fœliciter componerentur, *Iuſtitiæ* & *Honoris* ratione habita: idque non ex *meâ* magis quam *populi* ſententiâ, eorum ſaltem quibus aliqua ſupererat aut *amoris* in Me aut *fidei* ſcintilla: quibus etiam ipſæ hæ *Literæ* clare demonſtrabunt, me & R*ei* meæ privatæ & R*egni* mei curas poſſe & negotia (arte quâ Principem decet) capeſſere; quod non libenter de me credi volunt Hoſtes mei, quaſi ex aliorum Præſcripto &

Dictato

Dictato viverem quos *Pravorum Conſulſorum* nomine infamarunt..

Jam forſan me reſpicient nonnulli ut meorum Conſiliorum *Authorem*, & cùm alium non habeant in quem litem intendant, in me poſthac omne odium effundent, quanquam id ſemper illis ægrè fuerit, ut vel ullâ animi mei libertate gauderē, vel conſcientiæ meæ luci obtēperarem, quem ſibi planè addici & mancipari volunt, ſua inprimis *conſilia* à Me probari debere exiſtimantes qui tam diù contra me Bellum geſſerunt.

Satis quidem fuiſſet illius diei victoria, cùm acceſſerunt in prædam *Literæ* meæ, ad explendam illam Famæ popularis ambitioſiſſimam ſitim: ſiquidem apud vulgus hominum benè tantum audiunt proſpera, contra adverſa & afflicta conditio omni ſtatim contumeliâ excipitur, quaſi Bona Fortuna Vmbra ſemper eſſet virtutis, & non frequentiùs turpia & injuſta facinora in hoc Mundo proſequeretur.

Verùm illis qualicunque ſucceſſu nunquam ſatis muniri videtur & commendari cauſa ejuſmodi, quæ à Turbis auſpicata de Aura Populari dependet. Has ergo ſuis conſiliis utiliſſimas ducunt victorias quæ famam & exſtimationem meam apud populum peſſundent. In horum

horum enim pectoribus, omnes Amoris, Reverentiæ, Fidei ſcintillas ita penitùs ſopitas aut extinctas cupiunt, ut nunquam poſſint reaccendi in illum ardorem, quo vel Mea vel Legum, vel Regnorum meorum Libertates (quas omnes pariter everſas cupiunt) vigeant amplius aut reſtituantur; exiſtimatione mea ereptâ via pulchre ſternitur ad eripiendum mihi vitam & Regnum: Regno enim indignus jam nec vitâ dignus judicabor. Accurata igitur ſævitiâ pariter & aſtutiâ cogunt priùs exequias Honoris Mei celebrare, ut mox interitu meo parentetur. Sed haud dubito veram illam Dei Juſtitiam, nec errori nec affectibus obnoxiam poſſe aliquando & velle perverſa hominum ſtudia, & conſilia evertere; Poteſt ille efficere, & (ut ſpero) efficiet, ut in bonum meum cedant quæ in me peſſima Inimici vel cogitàrint, vel fecerint.

Nil me interim aliud exiſtimo hâc *Literarum* interceptione, quàm tot Chartulas tantum perdidiſſe. Quantum vero Illis perierit Humanitatis famæ (quæ cùm omnibus debetur, certe omnium maximè ab iis qui ſingulare præ ſe ferunt pietatis ſtudium) quantum etiam Reverentiæ & Honoris Regi ſuo debiti, & præſens ætas & futura optimè judicabit.

Sed nec Ipſas Eorum conſcientias arbitror ita penitùs in ſtuporem datas, ut non ſenſu aliquo ſecreto afficiantur pudoris illius & Infamiæ quæ inhoneſta facinora comitatur, utcunque publicâ adulatione, & populari Gratiâ commendata,

Certe nunquam ſperabunt Deo poſſe approbari turpem hujuſmodi rem & indecoram; modo velint meminiſſe quâ Deus olim benedictione illam *Nohæ* Filiorum verecundiam & filialem in Patrem teneritudinem compenſavit, cùm nullâ contra Parentis infirmitate vel excuſari poſſet *Chami* impudentia, vel ab execratione illa liberari ut eſſet *Servus Servorum*; quæ (vereor) ut ſit illis hæſura, qui actibus plenis probri & placere ſtudent Populo, & hoc ſibi Patrocinium firmare.

Haud verò magis vel defendi poſſunt vel fœlicem exitum ſortiri illa eorum malitioſa conſilia, qui hac me ratione cogitabant ſummæ apud Populum ignominiæ & ludibrio exponere, officii illius valde immemores quo modeſtè celare jubebantur, ſi quid verè in Patriæ *parente indecorum* comperiſſent, quod tamen (Deo Gratias) neutiquam factum eſt, ſed illius potiùs Gratiâ perfectum, ut mihi non ſecùs (quàm olim *Davidi* evenerat) reverentiam porro cônciliârit ipſa hæc Literarum vulgatio, quâ me ut *Vilem Perſonam*, omnì prorſus exutum Majeſtate, & nulla poſthac fide aut exiſtimatione dignum exhibere omnibus voluerunt.

Tu vero (Domine) qui Sapienti tua & cuncta diſponente Providentiâ ordinas ea quæ videntur in humani rebus incertiſſima, fac ut conſtantem tuam in Me Miſericordiam agnoſcam, etiam ubi

in me maximam licentiam Hoſtibus meis permiſiſti.

Tu qui olim Achitophelis *conſilia difflaſti, & in bonum tui* David, *& exitium Authoris convertiſti, ita & horum potes machinamenta ſubvertere qui hæc mea ſecreta evulgando, odio me volebant & contemptui Populi exponere. Tuam Omniſcientiam appello Teſtem Integritatis meæ, quam iniqua & falſa ſint illa valdè probroſa, quæ hac Chartarum mearum occaſione Hoſtes mei peſſimi interpretes de me vulgo credi poſtularunt.*

Malum quod in Me machinati ſunt, & ſollicitè ita procurarunt, ita in Caput Ipſorum revertatur, ut induantur pudore, & operiantur ſicut diploide, confuſione ſua.

Vides Domine, quàm id omni ſtudio agunt, ut Honorem meum deturpent, ſenſa animi detorqueant, & veſtigia exprobrent Uncti Tui.

Me vero Corde illo dones quo libenter contumelias accipiam Tui causâ, & Tuæ Eccleſiæ.

Hunc in Me firma animum, ut tuo maximè ſtudeam honori: meum tibi curæ fore nil dubito, vel me enim Poteſtati illi & Majeſtati reſtitues (quam nonnulli tuo permiſſu ita quærunt eripere) vel illa corona impertiet Chriſtianæ patientiæ, tibi uſque pertinacis per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam ſervire.

Tu (Domine) fons es Bonitatis & Honoris, tu eximia Majeſtate indueris: fac me tuæ Excelcellentiæ qua ſapientia Iuſtitia & miſericordia ſuperas, aliquo ſaltem modo participem, nec jam

illo deſtituar Honoris & Majeſtatis portione digna Loco in quo me collocaſti, qui es Exaltator Capitis mei & Salus mea.

Duc me Domine tuâ Gratiâ ad eam veram ſolum & æternam Gloriam.

---

22. *Cum abiret Rex ab* Oxonio *& ſe ad* Sco=tos *reciperet.*

QVanquàm *tria* mihi Regna Deus dederit, nullibi tamen *locus* reſtat, ubi jam tutum *caput* (tuto ſimul *Honore*) deponam. Ita enim oſtendere volebat Deus ſe tutiſſimum eſſe perfugium, & arcem omnium munitiſſimam in qua oportet confidere.

In his rerum anguſtiis non tam *Homines* quàm *Deum* reſpicio. Sic Illi viſum eſt facere: atque adeò Me penitùs & afflictas res meas in Illius miſericordiam conjicio, cujus unius arbitrio manus omnium & corda imperantur.

Quod *viribus* negat providentia, *prudentiæ* forſan

orſan concedet. Advocata in conſilium neceſſitas jubet ut incolumitati meæ proſpiciam, *diſsimulato* me illinc *habitu* ſubducens ubi præcipuum robur ſupererat, ut eorum jam *fidem* experiar qui has primùm Turbas inchoârunt; forte his tandem inſtrumentis uſurus eſt Deus ad hæc omnia honorificè componenda.

Hæc fortè de illis fiducia exuet eos armis, & vincet: quòd me Illis ſic ultrò crediderim, affectus eorum arctiùs aſtringet, qui ita crebrò profeſſi ſunt non ſe *in Me*, ſed *pro Me* pugnare.

Ænigma jam hoc explicandum eſt, & occaſio illis offerenda quâ jam orbi teſtentur, non ſe ea quæ *agunt*, ſed quæ *dicunt*, velle.

Deo verò hîc cuſtode opus eſt, conſiliumque & ſolatium à Conſcientia meâ petendum. Tradam *corpus* licet in iſtorum manus, *animam* tamen Deo & mihi integram ſervare decrevi, nullâ unquam neceſſitate cogendus vel *Honori* meo renunciare, vel à *Judicio* deflectere.

Quod *vi* rapere volebant, jam his *ultro* donabitur, tam inſolito genere præfidentiæ, ut jam merito pudore afficiantur, ſi id re non præſtent quod debent, & quod verbis ſunt ſæpè proteſtati.

Haud enim Deo ſatis viſum eſt, ut militari meo Robore ad me tuendum deſtituar, niſi eorum etiam Arma implorem, qui licet ex

officio me tueri debeant, adhuc tamen cenſentur in hoſtium numero.

Ita variæ ſunt res humanæ, & in eo ſæpè difficili Statu res Principum verſatur, ut in quo collocant illi *præſidium*, ibi maximum ſubſit *periculum*, &, quod credunt *periculum* in *ſalutem* vertatur.

Eo jam redactus ſum, ut, qui ſtrenuè meis Partibus hæſerunt ſint à me relinquendi, ut ad Caſtra inimica confugiam: forſan hanc *Pacis* rationem ſœliciùs initurus, quàm illam *Belli*, quò & ſanguinis effuſio ſiſtatur, & jam vulnera facta coaleſcant, dum ſim interim haud perinde de *Mea*, quàm de *Meorum* incolumitate ſollicitus, ut qui majora potius velim pericula tentare quàm conſtantem eorum Fidem extrema pati.

Eſt & aliqua in luſitando peritia, ſcire jam vincere non poſſe, & maturè deſinere, quàm fruſtra certare.

Id jam ſummo ſtudio agendum, ut Judicium meum ampliùs confirmem, ſimque juxta à Ratione & Religione inſtructior, ne libertatem *Animæ* meæ ſimul tradere videar, aut *Conſcientiam* illis mancipare, quos vel ab initio oportuerat *Argumentis* potiùs quam *Armis* in hæc nova ſua poſtulata Conſenſum meum exoraſſe.

Nullus apud me (Deo gratias) ſucceſſus fucum vero facit, aut fraudem, nec jam minùs in hoc rerum articulo verba mea animo reſpondebunt, quàm ſi eſſent (prout Re-

gis inter Subditos eſſe decuerat) *plena poteſtatis.*

Vis maxime Divina Ratio eſt: nunquam inopem Me virium putabo, dum hac integrè & liberè frui liceat. Nulla externa Fortunæ *Ecclipſis* hac Me luce innatâ fraudabit. Quicquid *extra* Deus negabit roboris, *intùs* à Gratia Illius (uti ſpero) in conſtanti animo ſupplebitur, non ut *negem* præfractè quod concedi par eſt, ſed ne quid ejuſmodi *concedam* quod *Ratio* & *Religio* jubent negare.

Nec Me interim *minorem* factum exiſtimabo, dum hanc Conſcientiæ integritatem cuſtodiam quæ Mihi ſola *Gemma* ſupereſt digna *ſervari.*

O Tu Animarum Moderator Supreme, qui Conſcientiis noſtris ſolus imperas: licet ignorem quid agere debeam, oculos meos ad Te dirigo. In tutelam tuæ Miſericordiæ me ſemper committo.

Quemadmodum Me ſervaſti in die prælii, ita & adhuc potes vim Tuam in infirmitate mea oſtendere.

Sis Tu mihi in nocte obſcuriſſima Columna Ignis *quâ illuminari ſimul poſſim & dirigi, & in die Tribulationis ferventiſſima ſis* Columna nubis *Me inumbrans & protegens.*

Tu noſti (Domine) Me nullâ penitus animi pervicacia ſed juſtiſſimis argumentis perſuaſum, à Ratione, Honore, Religione *ductis hæc &*

Capitis mei, & Pacis, & Incolumitatis pericula adiiſſe, ut Me iis opponerem qui hæc vi mihi extorquere voluerant.

Ne Tu juſta ſinas mentis meæ propoſita cum externo robore flacceſcere: comitetur me uſque Bona Conſcientia in hac ſolitudine & derelictione.

O ne prodam unquam Rationis meæ Facultatem, & illam Arcem Animæ meæ, quam Tu mihi tuendam credidiſti.

Deduc me ſuper Semitas Iuſtitiæ, & oſtende mihi ſalutare tuum. Fac ut placeant tibi viæ meæ & tunc inimicos quoque convertes ad Pacem.

---

23. *Cùm* Scoti *Regem* Anglis *traderent, & de Cuſtodiâ* Holmbe=jana.

IN hoc tamen *Scotos* iſtos coram Mundo abſolvo, quòd me haudquaquam fefellerint, nunquam enim Illis amplius quàm Hominibus par eſt, credidi, ſi ab iis *divendar*, dolet

dolet *eos* hoc maximè facere, & multò *Servatore meo* cariùs me æſtimari.

Sunt hæc alia inſuper experimenta, quibus Deus Me voluit Inconſtantiam Humanam explorare, ut me penitiùs in ſe defigat nunquam Illos deſerente qui in Ipſum crediderint; *quaſſetur* licet *arundo Ægyptiaca* ſubter *volam illius qui innititur*, Rupes tamen *Iſraëlis* in æternum manebit.

Dei me jubet Providentia à cæteris omnibus ad ſeipſum confugere, ut in Illo Me fruar, qui Me nimis perdidi, cùm in aliis Spes extrâ collocaverim.

Soli jam & *Captivo* (eò enim jam redactus ſum) ſatis otii ſupereſt quo de Mundi Vanitate, & Inconſtantia cogitem.

Id Deo expedire viſum eſt, ut Me Vxore mea, Liberis, Exercitu, Amicis, & Libertate deſtituat, ut ſim unicè Illius, qui eſt *Vnus Omnia*.

Parvi refert inter *Infœlices* numerari, modò Nigro *Impiorum* Catalogo inter Sacrilegos Principes non aſcribar.

Nulla quæcunq; coarctatio animam meam illaqueabit, nec id unquam à Me impetrabitur, quo vel Hoſtibus meis *inſolentiam* augeam, vel Amicis *pudorem*, vel Nomen meum reddam *execrabile*.

Nihil eſt quod triumphent detento *Corpore*, cùm Ipſe *Animam* retineam in nil adverſus Conſcientiam expugnari firmam.

Quod hi vocant *Pertinaciam*, id à Deo reputa-

putabitur *honeſta Conſtantia*, à qua *Ratio* non minùs & *Religio*, quàm *Honor* meus vetat recedere.

Patet jam, haud ita in *Pravos Conſiliarios* quam in *Bonam Conſcientiam* huc uſque pugnatum, nec illis unquam animum fuiſſe Me ad Parlamentum *retrahere*, quàm ad Ipſis prius obſequendum *animum* meum *pertraxiſſent*.

Si quod petunt nonnulli concederem, eſſem is profectò quem cupiunt, non eò *Rex* potior, ſed & *Homo* & *Chriſtianus* multo deterior.

Quod *Turbæ* & *Arma* non poterant, nunquam à Me impetrabit *Captivitas* æquè cum illis *intuta* Principi, ſed non magis *formidanda*.

Nulla mihi naſſa fiet metus hominnm, nec animam impediet Libertatis amor. Præſtat enim ab *aliis* quàm ab *Me* ipſo prodi, & ut Libertatis lytron Conſcientia perſolvat; quod enim mihi maximè cupiunt facere Inimici injurium, ſine meo conſenſu non poſſunt.

Dum id integrum ſolum habeam cum *Ratione* negare, maximam eorum malitiam fruſtrabor, qui nec rectè uti ſciunt quæ jam olim conceſſeram, nec quid aliud à Me poſtulare, quàm ut in Meam & Meorum perniciem operam meam velim commodare.

Immo etiamſi Me *interimant*, ſaxo, nulla erit cauſa cur *contemnant*, nec mihi tanti Libertas & vita ipſa, quanti pax Conſcientiæ, cùm Co-

ronæ meæ Honore & Salute Populi conjunctas; queis ſim *uno* forſan *Verbo* magis nociturus, quàm *quæcunque* Belli *mala*: dum, ut *paucis* indulgeatur, *cunctos* peſſundem.

Reviviſcent (Deo juvante) Leges noſtræ; & cum iis Subditorum Meorum obſequium & amor, modò ne Meo *Conſenſu* ſepeliantur eo Probri & Injuſtitiæ Tumulo, qui à nonnullorum violentia effoditur.

Si non aliàs hæc liceat redimere quàm Libertatis meæ aut Mortis pretio, en Me ultro paratum dependere.

Nulla ſors Regi verè calamitoſa, quæ ſecum Animæ Ipſius & Populi & Poſterorum ſervitutem non trahit.

Cernent forſan futura ſæcula in quod præſens ultrò amat *cæcutire*: & oſtendet Deus aliquando Populo meo, Me *pro Illis* potiùs optâſſe, quàm *cum Illis* pati; etiamſi plane conſtaret Me in eorum ſervitutem aſſentientem poſſe in aliquam libertatem reſtitui, ſatius duco unum Regem vel de extremis periclitari, quam tot in Eos Tyrannos confirmare: quod Deus avertat, quicquid de Me facturus eſt, qui Me in ſolitudine meâ ſolum eſſe non ſinit.

Tu enim (Domine) infinite Bonus & Magnus ſemper mecum es, cujus potior vita præſentia eſt, & cui ſervire Libertas conſummatiſſima.

Agnoſce Me Famulum Tuum, nec jam querar

amiſſam libertatem Chriſtiano & Homine & Rege dignam.

Tua tamen uſque Benedictione adſit Ratio *mihi ut homini, ut Chriſtiano Religio, & conſtans cura, ut Regi, Iuſtitiæ.*

Cæteris licet omnibus ornamentis externis diſpoliari permiſeris, maneant illa ſemper ſalva per quæ Te fruor, & quæ eripi mihi invito non poſſunt.

Nullo Igne afflictionum effervescant ullæ animi perturbationes, ut in iræ impotentiam, aut ſpurços metus ebulliant. Multi dicunt non eſt Salus Ipſi in Deo Suo, Leva Signum ſuper Me, nempe lucem vultus tui, nec jam amplius Libertate, nec Salute, nec Majeſtate indigebo.

Illum mihi Conſtantiæ des, & Patientiæ modum, quem præſens mea Conditio deſiderat.

Robur meum diſsipatur, Spes ab hominibus deſtituitur, ipſe Captivus detineor, O ne elongaveris Domine, ne Inimicus meus nimium contra Me invaleſcat.

Tanquam prodigium factus ſum multis, Tu adjutor fortis & aſylum prævalidum

Fac mecum Signum in bonum, ut videant qui oderunt Me & confundantur, quoniam Tu Domine adjuviſti Me & conſolatus es Me. Spiritu principali confirma Me, ut & faciam voluntatem Tuam, & patiar quod tibi placuerit.

Miſerere mei Deus quoniam in Te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum ſperabo donec tranſeat iniquitas.

Exurge Domine, eripe Me*, nè longè facias miſerationes tuas à Me.*

Etiamſi

Etiamſi Me occidas, in tua tamen Miſericordia & Servatoris mei meritis confidam.

Scio quod Redemptor *meus vivit: Et ſi ambulavero per vallem umbræ mortalis, nihil mali timebo.*

---

24. *Cùm Regi ſui* Sacellani *interdicerentur.*

CVm ſic Dei Providentiæ viſum fuerit Me Civilibus Solatiis, & cætero omni famulâtu orbare, nulla re commodiùs arbitrabar omnium poſſe abſentiam ſuppleri, quàm *Sacellanorum* meorum Contubernio; quos & ob *munus* ſuum revereor, & ob *fidem* diligo: Horum enim doctrinâ pietate & precibus Me ſic meliùs ſperabam potuiſſe tum incommoda cætera tolerare, tum in futuram meorum reſtitutionem, & ſanctiorem uſum præparari, dum adjutus horum pietate ſpiritualem *meſſem* Gratiæ inter *tribulos* & *ſpinas*, & poſt duram Afflictionum *Arationem* perciperem.

Nunquam ſanè mihi magis neceſſaria fuerat

rat nec expetita magis, opera eorum & auxilium, qui *Pietatem* cum *Iudicio* & Re*ligionem* cum mente *ſana* conjunxerant.

Quâ me clauſerunt ſolitudo ad cæteras meas *Tentationes* ut *Deſertum* accedit: quos enim mihi obtrudunt Comites quâvis ſunt ſolitudine triſtiores.

Jam ſi mea *Vectigalia* aut Jus *Militiæ*, vel Regnorum āliquod poſtulâſſem, haud mirarer denegantes quod illa improba Politice ideò vetat reſtitui, ne hoc facto faterentur ſe injuſtè uſurpaſſe: Cùm vero *Sacellanorum* meorum Spirituale mihi ſolatium abnuerint, duriùs mecum & inhumanius actum videtur, quàm quod unquam à Chriſtianis factum eſt, vel in infimæ ſortis vinctos, vel maximorum facinorum reos; qui, etiamſi Legis ſeveritate aliis vitæ commodis priventur, tamen Religionis miſericordiâ, *beneficio* fruuntur *Cleri ſui*, ut quæ ſimul nolit Corpora *perimi*, & Animas *damnari*.

At neque hoc mihi permiſſum in *angore* meo, ut à qnocunque *Bono Angelo* ſuſtenter; (Is enim mihi jure optimo videtur Doctus Pius & Prudens Theologus, quales certe Meos omnes exopto.)

Quibus prius dividiæ erat Me Regem eſſe, jam moleſtum eſt eſſe Chriſtianum; ita me omnibus quærunt *ſpoliare*, quaſi id etiam vererentur ne vel *Salva* mihi *Anima* ſupereſſet.

Nulla Charitas clementiùs interpretari poteſt tam præfractè negatum poſtulatum æquiſſimum.

ſimum, ut mihi nonnulli è *Sacellanis* adeſſent.

Cogitabam hoc mecum aliquando, ideo forſan ab Illis (licet parum Chriſtianè) negatum, quòd ægrè ferrent Me meos *Theologos* ſuis *Miniſtris* ante ponere, quos (licet aliàs forſan virtute & pietate laudabiles) haud tamen rebar idoneos qui remedia mihi in præſens aut ſolatia adhiberent, quorum quidem nonnulli magna harum *Calamitatum* Cauſa, & *vulnerum* meorùm extiterunt.

Quin etiam inter eorum Saniores nōdum ea in Sacris unanimitas & conjunctio Cordium exſpectanda eſt quam in ejuſmodi officiis *mecum* unâ & pro *Me* peragendis, vehementer deſidero; cùm eorum plærique, Judiciis vel à meò diverſis, vel in meum ſuſpicioſis, vel omninò adverſantibus, haud unquam eo concentu harmonico (qui maximè in precibus & cæteris Sacris requiritur, ut cum fructu præſtemus) vel cum meo ſint Spiritu vel cum eorum Ipſe, concordaturi. Aurea enim hîc Regula & *Perfectionis Vinculum* in illo mutuo amoris & charitatis conſiſtit.

Sunt Remedia nonnulla pejora morbis, & plane conſolatores ejuſmodi major ipſa calamitate calamitas, cum (velut amici illi *Iob*) non confirmare animum patientiâ ſtudeant, ſed eò velint perducere, ut repudiatâ & proditâ Innocentiâ ſuâ de Divina Miſericordia deſperet, & juſte latas agnoſcendo eorum injurias, confirmet inſolentium inimicorum manus, & corda magis faciat indurari.

Ita

Ita valde faveo *Eccleſiaſticis* (qui in ſe dignum quid habent tanto munere) ut hâc cauſâ præcipuè rem meam in diſcrimen adduxerim, quod pertinaci conſcientia in tuendo iis Jura ſua perſtiterim, quos, quò magis ut *pupillos* intuebar ſub Sacrilegis oculis conſtitutos ſævorum & rapacium Reformatorum, eo ampliùs ex officio meo ducebam *Patrem* Me & *Patronum* Illis pariter & Eccleſiæ præſtare, quanquam malè mihi à nonnullis hæc gratia rependitur, in ea forſan tempora victuris, quibus non minùs de mea *calamitate*, quàm de ingrato ſuo *errore* ſerio doleant, luantque contumelias illas & parvipendium, cui & ſe & ordinem ſuum fecerunt obnoxium.

Hos interim omnes miſereor, ſperno neminem: id ſaltem credebam meritò mihi potuiſſe indulgeri, ut eos mihi peculiares adſciſcerem, qui & Judicio meo probatiſſimi erant, & Sententiæ maximè conformes. Quod cùm non impetraretur, multo potiùs duxi (etiam cum aliqua Impietatis ſuſpicione) nullis Precibus intereſſe, quàm ſimulare Me eorum participem quibus nec Cor meum adſtipulari, nec lingua poteſt reſpondere AMEN, niſi Intellectui meo prorſus obluctari, & in animam meam velim mentiri.

Prorſus in Sacris hujuſmodi & Solennibus Officiis nec profana mihi placet audacia, nec inſulſa, & ſenſu deſtituta pietas, ſed eo judicio & humilitate & gravitate peragi, quâ ſe ſupplex demonſtret, & de Dei Majeſtate, & de

Eccle-

Eccleſiæ Honore ſollicitum, tum & ſuam Vilitatem cogitaſſe, atque illud etiam non ignoraſſe, vel *quid* fas à Deo peti, vel *quo modo* Peccatorem deceat Divinam Miſericordiam pro ſeipſo & aliis implorare.

Juxta omnes illæ Preces offendunt, in quibus aliquid protervius, ruſticius, perturbatius auditur, cum hic abſit neceſſe vel *humilitas* in Deum, vel in homines *charitas*, vel quæ ipſi officio *reverentia* debetur.

Fateor mihi magis arridere, ut meditatas probe, & ſtudio adlaboratas *Conciones*, ita eas *Precum* Formas Publicas, quæ tùm Eccleſiarum, tum Chriſtiani cujuſvis neceſſitati magis ſunt conſentaneæ, quia in his multo exploratius habeo quibus Cor meum debeo adjungere, quàm in cujuſquam extemporanea Facultate licuerit, quam quidem ut minimè interdictam velim publica occaſione exigente, ita liberrimè tunc poſſe exerceri cenſeo in privatis illis noſtris ſeceſſibus, ubi nec officii ſolennitas, nec verecundus aliorum reſpectus tantam in ritu exteriori curā deſiderat: quanquam lux Intellectus & Affectuum fervor ſint illa maximè neceſſaria in Sacris omnibus Officiis, ſive ſint illa Solennia, ſeu ex occaſione nata, ſolitaria, vel cum aliis conjuncta.

Æqui interim homines exiſtimabunt Me eâdem prorſus ratione *Sacellanos* Meos Eorum *Miniſtris* prætuliſſe, quâ *Liturgiam* præfero *Directorio*. In *illa* ſemper eductus, & exercitatus fui; in *hoc* nondum initiatus, & planè novus.

vus. Quod tametſi meliùs callerem, haud unquam Illius ductu (tanquam certâ ulla *Regulâ* & precum *Canone*) perſequi liceret aut inveſtigare devias eorum aberrationes extra omnem ſemitam & regulam, qui huic ita præclaro inſtituto & inprimis utili applaudunt; quanquam & jam etiam à plurimis ſperni cœpit & obſoleſcere, non ſecùs ac illæ Preces noſtræ publicæ, ab iis maximè faſtiditæ, quorum magna pars pietatis in illa Plebi gratiſſimo maledicentiæ argumento verſatur, ut debacchentur ſcilicet in *Liturgiam* & Regimen Eccleſiæ & exponant (quâ poſſunt) ludibrio. Mihi potius denuncietur *Væ ſoli*, quam illud audiam horrendum *Væ vobis Hypocritis*, quod quidem meritò formidarem, ſi quæ *corde* reſpuo, ea *precibus* expetere ſimularem:

Forte nonnulli eorum arbitrantur Me ſatis fungi poſſe *Sacerdotis* erga Deum officio, licet *Principis* nequaquam in homines.

Vtrunque ſanè Munus (non nego) *Regium* pariter & *Sacerdotale* eidem benè poſſe Perſonæ competere, quemadmodum etiam antiquitùs ſub eodem prorſus Nomine Juri *Primogenituræ* connexa erant. Potiores quos imitarer non habui, quam illos Reges inclytos *David* & *Salomonem*, non *Corona* & *Sceptro* illuſtriores, quàm piis *Pſalmis*, & Divinis *Parabolis*; unde hic *Eccleſiaſtæ* nomen obtinet, ille meruit *Propheta* appellari: *Tituli* reverà multo ampliores (ubi dignè collocantur) quàm quoſcunque Romani Imperatores à *devictis*

victis Gentibus uſurparunt ; cum ſit longè Glorioſius *Verbo* Animas hominum ad Eccleſiam Dei convertere , quam Eos *Gladio* ſubigere in ſervitutem.

Cùm verò (ita Dei Providentiâ ordinante) *Regum* ferè ſemper fuerint & *Sacerdotum* munera *Eccleſiaſtarum* quoque & *Principum* tam in Judaicis quàm Chriſtianis Eccleſiis *diſcriminata*, dolet Me in id neceſſitatis deveniſſe, ut vel *idem* ſim mihi *uterque* , vel *neutris* fruar.

Qui enim Regiâ Me Poteſtate & Dominatu ſpoliant, non minori violentiâ adnituntur, ut Sacramentis, Precibus, Concionibus (vel per plurimos Menſes) interdicar, ni mihi Ipſe fiam *Sacellanus*.

Clerum certe cùm (ut Rex *Chriſtianus*) tutari debeam ita ab Illis viciſſim *Donorum* ſuorum & *Orationum* beneficium exſpecto, quas ideò meis & aliorum efficaciùs reor valituras, quòd à mentibus magis illuminatis, & minùs turbido affectu fluunt, quàm eorum fermè ſolent qui negotiis ſæculi implicantur. Porro hæc æſtimandum eſt acceptiora officia, & majori benedictionum incremento cumulari, quæ ſunt rite peracta, & Muneris illius præſcripto, ad quod à *Deo* & *Eccleſia* peculiari modo deſignantur nonnulli, & conſecrantur. Licet enim quoad ſenſum latiorem *Spiritualis Regiminis*, (quo quævis pia Anima *Chriſto* ſubjicitur, & per Illius merita quotidiè ſe & Cultum ſuum in Oblationem Deo ſiſtit) unuſquiſque Fidelium & *Rex* & *Sacerdos* dici poſſit,

Poſſit (cùm *Regali Sacerdotio* induatur) Si tamen Ordinem Eccleſiaſticum & Externam Politiam ſpectemus, æquè certò ſecutura eſt Religionis confuſio, ſi quiſque partes *Eccleſiaſtæ* aut *Sacerdotis* agat, quàm foret in ea Republica ubi omnes *Regnum* ambirent.

Egó multo modeſtioribus *Principiis*, & (ut opinor) piis magis innutritus ſum: cōſcius impotentiæ meæ *Spiritualis*, eò impenſiùs æſtimo & deſidero omnia illa pietatis ſubſidia quæ mihi à ſanctis & probis *Miniſtris* (ſive illi *Epiſcopi* ſint ſeu *Presbyteri*) adminiſtrari poſſunt in his anguſtiis, in quas (Deo permittente) ita à Subditis meis ſum redactus, ut nil ſit amplius quod eripiatur præter vitam reſiduum, nec mihi ultra quicquam expetendum, (in quo minùs arbitrabar vel offenſam eorum, vel ſuſpicionem irritare qui mihi hoc tam diſtrictè negarunt) quàm ut aliquod mihi ſaltem in *Animæ* meæ levamen, & ſolatium ſuppeteret.

In hunc enim finem Illos nominavi, quorum vita probro omni (quod ſciam) vacua, tùm *Doctrina* & *Pietas* non minùs, quàm in Me *Fides* perſpecta, adverſus quos nihil eſt quod objiciant, niſi forſan quòd ſint maximè idonei, ſtudiique in Me nimiùm propenſi.

Sed neque hæc prima opera eſt (licet omnium præcipua) quâ ab illis coactus ſine aliorum *Miniſterio* defungor, quanquam ægrius Me fatear *Sacellanis* meis quàm cætero omni *Famulitio* carere, quodque mihi ab Vxo-

ris & Liberorum divortio proximus certe (imo major in nonnullis) dolor, cùm ab his plus forſan humanis affectibus indulgeatur in præſens, Illi in Gratiæ Celeſtis incrementum proſint.

Hoc Me ſolatur, quod his *Mediis Ordinariis* neceſſariò deſtitutos ſolet Deus *Donis* ſuis & Gratiâ *extraordinario* quodam modo ſupplere.

Si Me Spiritus illius erudire & infirmitates meas (quod ſpero) adjuvare voluerit orantis, legentis, meditantis, haud jam alio *Oratore* aut *Doctore* opus.

Ad Te igitur, Deus Meus, has jam Preces meas ſolitarias dirigo: quod alienæ opis deeſt per immediatam tui Spiritus aſſiſtentiam ſupple, qui & tenebras meas ſolum illuſtrare poteſt, & excitare torporem.

O Tu Sol Iuſtitiæ Sacer Fons Cœleſtis Lucis & Ardoris, Clarifica cor meum & accende, docens Me *ſimul, & pro Me intercedens. In Te Omnis Plenitudo, A Te Omnis abundantia; Per Te Omnis acceptatio, Tu mihi in ſocietatem, in ſolatium ſufficis. Tu* Rex *meus es, eſto mihi & Propheta, & Sacerdos.* Regas *Me, erudias Me, pro Me precare, & mihi ſemper præſens ſis.*

Valuit olim in Te colluctatio Jacob *in illo Sacro duello, cùm nemo eſſet præter Te qui aſſiſteret. Tu Illum robore donaſti quo Te vinceret, & gratâ quadam violentiâ benedictionem à Te extorqueret.* *O reſpi-*

O reſpicias Me Famulum Tuum (pro infinitâ tua Miſericordia) olim ſatis fœlicem conjunctis illis omnium & ſociatis precibus, quarum fervor affectionum mearum in Te frigus accenderet, cùm ad Domum Tuam ſimul veniremus, ſimul in illa conveniremus, voce jubili & lætitia adorantes Te in unitate Spirituum, & in Vinculo Pacis.

O ignoſcas mihi omiſſas occaſiones fœlices, vel in quod bonum oportuit, minùs adhibitas.

Iam voluntate tua factum eſt, ut ſim velut Pelicanus *in deſerto, vel* Paſſer Solitarius in tecto, *vel ut pruna quædam diſperſa & disjecta ab illis ſimul congeſtis ſcintillationibus & mutua pietatis efferveſcentia, qua ille Sacer Ignis Gratiarum tuarum accenderetur meliùs in Ara cordis mei, tum aleretur magis & augeſceret, ut hinc* Precum Sacrificia, & thymiamata laudum *ad te debitæ oblationes aſcenderent.*

Sed O Tu qui non conteris calamum quaſſatum & linum fumigans *non extinguis, ne aſperneris illam precum mearum infirmitatem, & has animæ meæ ſuppreſſiones in hac ærumnoſa ſolitudine, ad quas jam Me neceſſario adigunt, qui ſic (nulla charitate) ea negant ſubſidia, queis vehementer egeo, nec minùs deſidero.*

Sit O Cordium iſtorum duritics mihi tantum occaſio qua erga Te magis, & pro illis emolliar. Accendatur per illorum odia meus amor, & iniquiſſima ſpretione pii deſiderii preces meæ ad Te magis excitentur: Surdi cum ſint iſti & inexorabiles Tu mihi aurem propterea magis advertas, qui es Deus exorari facilis, non aggravata eſt

auris

auris tua ut non poſſit, nec cor durum ut nolit audire, nec manus abbreviata, ut ſalvare nequeat Me ſupplicem tuum deſolatum.

Tu Me ab hominibus permiſiſti externis illis mediis privari in Eccleſia tua à Te inſtitutis, haud vero me illa prohibent Internæ Gratiæ communione, quam tu Cordibus humilium ſolus inſpiras.

O Me talem efficias, & jam (nullus dubito) docebis Me, exaudies Me, adjuvabis Me. Cor enim contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.

Tu Me (Domine) una opera potes & Templum tibi & Sacerdotem, Victimamque & Altare efficere, dum à Corde humili Solitarius inter Sacras Meditationes, Preces fervidus, & non fictas lachrimas Me quotidie tibi ſiſtam Oblationem, qui Me tibi preparas, in Me habitas, & à Me dignaris accipere.

Tu ſecretis (Domine) reparationibus, & miraculoſa infuſione effeciſti, ut pugillum farinæ *non deficeret* Viduæ, *nec* Lecythus olei *imminueretur durante illa Famè & Siccitate.*

O Animam meam intuearis, nunc quaſi Viduam quandam deſertam & deſolatam: Ne Salvificæ iſtæ Veritates quas jam anteà addidici è memoria mea elabantur, nec illæ dulces Spiritus Tui effuſiones quas aliquando ſenſi, deſtituant Cor Meum in hac fame ordinarii illius ſalubris alimenti quo Anima mea reficeretur.

Quod tamen malim ſuſtinere quam ab eorum manu pabulari, qui panem *meum miſcent* cine-

ribus & vinum felle, *qui Me torquent potius quàm docent, & quorum ora in acerba convitia, quàm in amicas preces, promptiora.*

Tu (*Domine Veritatis*) *noſti, quàm frequenter Sacras tuas Scripturas in perniciem meam pervertunt. Cum nil hîc diſertius præcipiatur, quàm ut pareant mihi ſimul, & incolumem conſervent. O ne ſit Illis in condemnationem.*

Noſti Domine nonnullos qui Orationes longas orantes *fratrum ſuorum Domos, & Regis, & Dei denique comederunt.*

Oleum eorum ne offendat Caput meum, nec Corroborantia Pharmaca Cor meum opprimant, contra iniquitatem eorum ſemper precabor.

A Veneno ſub linguis eorum, à labiorum Illorum laqueis, ab Igne Verborum & Gladiis libera Me ſemper (*Domine*) *& mecum unâ illos fido & pio Corde, qui bene volunt animæ meæ, & proſperitate illius delectantur, quique ſuis orationibus ſublevare quærunt hanc mæſtitiam Famuli Tui & ſolitudinem, Deus meus, & Rex meus.*

---

25. Me=

25. Meditationes *Pœnitentiales* & Vota *in Solitudine* Holmbejana.

Verba mea auribus percipe (Domine) intellige clamorem meum, intende vocem Orationis meæ, Rex meus ac Deus meus, quoniam ad Te orabo.

Dixi enim in exceſſu mentis meæ, projectus ſum à facie oculorum tuorum, at tu exaudiſti vocem orationis meæ cùm ad te clamarem.

Si Iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Sed apud Te propitiatio eſt & proptereà timeris.

Agnoſco peccata mea coram Te, quæ Conditio mea reddit graviora, illâ dignitatis celſitudine pondus omnibus adjiciente.

Ignoſce mihi Privata mea, & Subditorum meorum peccata eo uſque mihi imputanda, quatenùs illam quam dediſti Poteſtatem in Tuam Gloriam & Populi Bonum non exerui. Tu Me

L nunc

nunc à Gloria & Libertate Regia in eam ſortem dejeciſti, ut à propriis meis Subditis Captivus detinear. Meritò Domine ſi præpotentem tuam manum conſidero, quia in plurimis contra Te rebellavi.

Quin Tu mihi licet aliàs coarctato *Cor meum in Te* dilates, *& in Me Gratiam Tuam.*

Multum infra exiſtenti pietatem Davidis, *ſed ærumnis æquali, da mihi etiam ſolatia, &* miſericordias *Davidis* fideles.

Dolor ille in pœnitentiam ob peccata mea eſto mihi argumentum te hæc mihi condonaſſe.

Ne tibi exigua videantur quæ ſumus hactenùs Ego & Regna mea paſſi mala, licet haud pro merito caſtigaveris.

Reſpice in Me Domine & miſerere mei, quia unicus & afflictus ſum Ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de anguſtiis meis erue Me.

Oblitus es miſereri Deus, & continebis in ira miſericordias tuas?

Memor eſto miſerationum tuarum antiquarum, & miſericordiarum tuarum à ſeculis.

Niſi credidiſſem Me viſurum Bonum Domini in Terrâ viventium, animum deſpondiſſem.

Ne in rebus ſecundis peccata noſtra fraudent nos ab adverſarum beneficio.

Quin hæc per Ignem exploratio *ſcoriam illam abſumat, è diuturna pace & copia contractam.*

Has ſi velis ærumnas producere, O ne Gratiam tuam ſubduxeris; quod deeſt fortunæ ſecun-

cundioris patientia & pœnitentia ſupple.

Et ſi nondum Ira tua auferatur, ſed manus tua adhuc extenditur, vertatur (oro) contra Me, & contra domum Patris mei, oves autem iſtæ quid fecerunt?

Satient meæ perpeſſiones eorum Malitiam qui ſunt mihi pariter & Eccleſiæ infenſi; Sed nec ultima eorum ſævitia Charitatem meam unquam exuperet.

Procul à Me faceſſat omnis vindictæ cogitatio, ne mihi pereat patientiæ merces, tibi Gloria.

Quemadmodum mihi cor dediſti ad condonandum facile, ita & Tu (precor) condones, quæ adverſus Te & Me deliquerunt.

Et nunc (Domine) quoniam mihi Cor dediſti quo ad Te precer, audi & accepta quæ coram Te vota facio.

Si Me & Regna mea in miſericordia velis reminiſci, perpetuando lucem Evangelii tui, & veram inter nos Religionem ſtabiliendo:

Reddendo Legum beneficium, & debitam Iuſtitiæ adminiſtrationem:

Compeſcendo illa plurima in Eccleſia Schiſmata & Factiones in ſtatu:

Reſtituendo Me & meos in Iura illa antiqua & Deceſſorum noſtrorum Gloriam:

Si Tu velis convertere corda Populi mei, ut Tibi pietate, mihi fidelitate, ſibi invicem charitate uniantur:

Si hæc tandem velis Flammas extinguere, & Civilis Belli fomitem ſubtrahere:

Si nos publicè conſulendi libertate benedixe-

 ris,

ris, & Honorem Parlamentorum ab inſolentia Plebis liberaveris:

Si Me à magno Peccato cuſtodiveris, ne quicquam adverſus Conſcientiam meam ratum faciam, maximè ne in Sacrilegas rapinas, & Eccleſiæ Tuæ *ſpolia conſentiam;*

Tunc laudabit Te *anima mea, & magnificabo nomen* Tuum *in laude coram Populo.*

Tunc Mihi vel Coronis meis pretioſior erit tua Gloria, & illa cura præcipua, ut vis veræ Religionis & puritas ſimul promoveatur.

Tunc in Iuſtitia regnabo Populum, & Regna Mea in æquitate.

Tunc a Manu Tua *immediatè agnoſcetur (ſicut Ius Legitimæ Succeſſionis) ita clemens Regnorum meorum, & omnis Gloriæ eorum Reſtauratio.*

Si Me rurſum in Pace, & Honore meo ſalvo, incolumem ad hanc Vrbem meam Præcipuam *& Parlamentum reduxeris.*

Si in manus meas iterum Gladium Juſtitiæ *punientem ſimul & tutantem commiſeris.*

Tunc Orbis (faciam) intelligat, & ipſi Hoſtes Mei percipiant beneficium illius propoſiti, & Chriſtianæ Charitatis voti quod ad Te *jam facio Domine.*

Nempe, ut jam omnibus ignoſco (Chriſti cauſa) quæcunque in Me deliquerint, ita nunquam Manum *Meam contra quenquam futuram, ut ob privatam ullam offenſam ulciſcar præterita.*

Satis invicem luimus in ſcelerato hoc Bello; propter

propter Te *jam Domine*, *&* Redemptoris *Mei charitatem*, *illud firme in corde meo ſtatuo omnes modos* Amneſtiæ, & Indemnitatis *experiri*, *quò & metus omnes pellam*, *& ſuſpiciones oblivione ſepeliam.*

T*uis ita in* M*e & Meos miſericordiis potiar ut Veritatem &* P*acem firmè volo.*

Auribus percipe orationem meam Domine non è labiis doloſis prodeuntem.

Benedictus Deus qui non repulit orationem meam, *nec miſericordiam ſuam a* M*e ſubduxit.*

Anima Mea devolve ſuper Dominum viam tuam: Spera in eo, & ipſe faciet.

Sin T*u nolis Me & Meos reſtituere*, *quis ſum ego qui tibi* inſulſum tribuam?

T*u* (*Domine*) *dediſti & abſtuliſti. Sit nomen Domini Benedictum: Laudetur Nomen Domini*,

Fœlix ſit Populus Meus & Eccleſia, *ſi non mecum una*, *at ſine* M*e.*

---

26. *Cum Rex in* Holm=beja *interciperetur, &* *quæ inde diſtractiones* *in* Vtraque Domo, Exercitu *&* Vrbe *conſecutæ.*

QVam *Perſonam* mihi jam impoſiturus eſt Deus, vel quid agere omnino aut pati velit in hac *Nova* rerum *Scena* haud ſum valdè ſollicitus. Modico uſu Artifex evadet qui *Honeſtatis* tantum & *Virtutis* partes ſuſceperit.

Hac Mei raptione oſtendunt, vix eo uſque dejici Regem poſſe, ut non momentum ſit aliquod & Pondus, parti in qua conſpicitur, allaturus.

Motus iſte (prout alii horum Temporum) *Eccentricus* prorſus & Irregularis, cui tamen haud facile vel *reſiſtat* quiſpiam, vel *ſiſtat*. Præſtat rapi torrente, quàm fruſtra brachio contra obniti.

Nempe

Nempe eſt hæc *Gemellorum* colluctatio quos idem nuper *uterus* incluſit; dum in *Majorem* certat *Minor* prævaleſcere. Quod tam diu venati ſunt *Presbyterales*, volunt jam *Independentes* eripere.

Omninò aliter fieri non poteſt, quin à *Centro* ſemel ductæ *Lineæ* à ſe invicem ſtatim diducantur, atque eo latiori intervallo quo recedunt longiùs à *Puncto* Vnitatis.

Enimvero ut *Babelis* Exſtructores à *diviſione* ad *confuſionem* labantur, haud perinde mirandum: ut verò ii qui ſimulant ædificare *Ieruſalem* ita linguâ & manu invicem *dividerentur*, malum profecto augurium eſt, & aliquid in ſe habere videtur *Zelotarum* furoribus ſimillimum, quorum maximè inteſtinis diſſidiis Fatum *Vrbis* illius & ſuprema clades debebatur.

Muto jam Cuſtodes & Carcerem, *manet* eadem Captiva conditio; hæc me ſpes ſolatur, iſtos, qui ſe Populi libertatum ita ſtrenuos vindices profitentur, haud ita Regis ſuæ libertati in omnibus poſſe adverſari: quod enim ſuis conſcientiis donandum poſtulant, meæ ſunt iniquiſſimè negaturi.

Atque hîc magis ingenuè videntur agere, quàm quâ erânt *Presbyterales* inhumanitate; qui id maximè lamentari ſoliti, *exigi* ſic ab Illis ut eſſent Legibus conformes, jam *Exactores* ſunt omnium acerbiſſimi, ut Novellis ſuis Dictatis obtemperetur, licet nulla adhuc Le-

gum authoritate firmatis, quod ſine meo conſenſu nunquam fiet.

Patet jam, *Independentes* ex hoc *Rivalium* ſuorum famulatu manumiſſos ſe penitus arbitrari, cum rem tanti momenti, (quale eſt Me *Exercitui* cuſtodiendum tradere) nullo alio *mandato* niſi ſuo *jure* exequuntur.

Qui hæc in Regem ſuum audent, quidvis facile porrò aggredientur quod in animum ſemel induxerint, nullo metu aut verecundia deterriti.

Proximè jam ad *Vrbem* turbatur, terrore intentato & minis tum in *Illam*, tum in *Domum utramquè*, quæ jam fruſtra iiſdem repetitis Tumultibus mox & hos & illos priores (quorum nulla adhuc inquiſitio nulla prorſus animadverſio aut pœnitentia extiterat) eodem una luunt ſupplicio, in præſenti pavore & Diſtractionum ſpeculo peccatum ſuum contemplantes.

Stupidè cœcum eſſe oporret, qui hîc *Manum Dei* non videt: ut, qui ipſi *Tumultuantes* invitabant primò, & initium fecerunt Exercitui, jam ab iiſdem ob *Tumultus* caſtigentur.

Ita difficile eſt intra unum peccatum continere, nec nova inſuper facere, dum ſuperiora noviſſimis puniantur. Qui enim Me non ita dudum & utriuſque Ordinis plurimos à Primis illis licentioſis *Tumultibus* pulſos ita placidè & libenter ſpectabant, jam & ipſi in Caſtra confugiunt, ut ſint à *Tumultuantibus* tuti.

Sed

Sed quis hæc jam expediat Ænigmata? qui ſe priùs ex *Vtroque Ordine* mecum una ab his furoribus ſubtraxerant, *Deſertores* Parlamenti habiti ſunt, & in perpetuum excluſi, qui vero permanebant, & beneficio Tumultuum utebantur, hi unici erant *Senatores*: Contra jam, Locum ſuum *deſerentes* & profugi ſecum unâ Authoritatem *Parlamentariam* auferunt, debacchantur in *Tumultus*, & ſe vi armatâ reſtituunt, dum qui manent adhuc in ſtatione ſua fixi *Hortatores Tumultuum* audiunt, libertatiſque & Honoris Parlamentarii *Proditores*.

Adeo ultra Leges omnes & Regulas *Vis* pollet! dumque magis quid in præſens expediat, homines quàm Conſcientiam ſpectent & illam Normam Juſtitiæ immutabilem, fit plærumque ut dum *aliorum* Judices ſedeant *ſeipſos* maximè condemnent.

Jam *Tumultus* grande Crimen! jam Authores eorum & Fautores prodigioſæ Audaciæ rei, nuper animo in *Parlamentum* benevolo, & neceſſarii valde *adjutores*.

Ita (quod olim narratur de illo Præſule *Germano* à ſorecibus & muribus intercempto) acris ſequitur vindicta & deprehendit eos, qui ſe *Numero* ſecuros, & *obſequio* in Populum munitiſſimos exiſtimabant.

In quos jam *Leges* nil poſſunt, *Deus* propriis ipſorum ſceleribus & manibus etiam caſtigabit.

Hoc interim Divinæ Iuſtitiæ opus Ipſe

maximo dolore & miſeratione intueor, cum ſim in *Vrbem* & *Parlamenta* animo valde benevolo; ut non poſſim non ſerio deplorare, duo hæc Regni noſtri conſpicua maximè & inſignia *Corpora* tam indigna ſe *pati* vel *facere*.

Benè tamen hactenùs proceſſit, quòd iſta gravis utcunque conquaſſatio, in *terrorem* tantum, & in domandos ſpiritus, non ad *ruinam* proceſſit, nunquam enim tam malè de hac *Vrbe* opinatus ſum, ut de futuro illius obſequio & fide deſperaverim, quæ licet præſens forſan *error* obtenebret, nunquam penitùs *Malitia* extinguet.

Tota utinam ab illis ſic procella tranſierit; quos non ſecus contemplor ac *Chriſtus* ipſe *Ieruſalem*, precibus meis & lachrymis & mœrore digniſſimos, cùm multo olim graviores *diſperſiones* proſpiciam neceſſario illis eventuras, qui merâ ſua petulantiâ in officio manere noluerant: cum ſit quædam *fatalis* occœcatio *voluntariæ* comes & ſupplicium: ut jam nec liberum ſit poſtea vel ærumnas defugere qui maturè de peccatis reſipiſcere nolebant, vel unquam frui Pacis gaudio qui Conſilia Pacis aſpernabantur. Id enim tandem reperient, *Fratres iſtos in malo* proxime in Hoſtes abituros, cùm ſit nil difficilius, quàm ut ſint Improbi diù unanimes.

Haud enim fieri poteſt ut fœlici exitu terminentur vaga iſta & diſſoluta Conſilia, quæ videntur mobili quodam potius gyro circumacta, quàm recta Rationis lineâ directa ad il-

lud

lud Publicæ Salutis Centrum, *Leges*, in quas omnes utinam Partes tandem deſinant.

Quod quidem erit multo facilius, cùm jam penitùs perſpectum habuerint, quàm ſit multo fœlicius notis *Legibus* parere, quàm diverſis hominum *voluntatibus* quantumvis blanda pollicentium.

Hæc enim Vulgi ſtudia qui res novas fere & illicitas proſequuntur, velut motus violenti ſtatim languent, & in contumacem fere deſinunt moroſitatem; verſo etiam nonnunquam in Illos impetu qui in has Illos furias perpulerunt.

Quod ad *Exercitum* ſpectat (eo forte excuſatiorem quod Militari more in rem ſuam agant *Stipendia* & *Indemnitatem* poſtulantes) neceſſarium ſane duco Paci publicæ, ut his *quamprimum* (quoad fas eſt) ſatis fiat. Horum enim ut ratio habeatur inprimis cupio, qui utcunque in adverſa mihi acie ſteterint, ob fortitudinem tamen & in depoſcendis periculis audaciam eouſq; ſunt æſtimandi, ut vehementer exoptem mihi nunquam tales defuturos, qui *Me*, *Leges* & *Regna* in ejuſmodi Pace tueantur, cujus ipſi non minùs quam alii fructus ſentiant.

Tu vero Domine qui in Sacroſancta Trinitate es perfecta Unitas, intuere illos pro tua Miſericordia, quos in Juſtitia tua diviſiſti.

Libera Me à contradictionibus Populi, & fac

ut id potiùs cogitem, quam ſit his precibus meis & miſeratione opus, qui contra Me nuper conjunctis viribus pugnantes jam contra ſe invicem bellum parant, ad perpetuandas Regnorum miſerias.

Patefacias omnibus ſemitas Pacis, à qua deflexerunt, quæque non in diviſis Partium voluntatibus ſed in debita Legum obſervatione conſiſtit.

Fac ut libens eam, quocunque Providentia Me Tua deductura eſt: & ſis mecum perpetuò, ut in Mundi inſtabilitate & mutationibus Tuam videam Conſtantiam.

Eum Me efficias qualem maximè volueris, ut eâ Pace & tranquillitate fruar quam Tu ſolus impertis.

Averte (Oro Domine) gravem Iram Tuam Grandibus iſtis & Populoſis Vrbibus imminentem, quibus ſua Copia fomes Luxuriæ eſt, & opulentia vertitur in laſciviam, qui multitudinis ſuæ fiducia in ſecuritatem proni & hac demum ſecuritate repentinis fiunt miſeriis obnoxii.

Da quò videant oculos, quò meditentur corda, quò amplectantur voluntates, & animos denique ut faciant quæ ad Tuam Gloriam, & Publicam Pacem ſpectant, ne Calamitas eorum ſupervenìat, tanquam Vir Armatus.

Fac ut ſciant, nunquam illis poſſe Inimicos deeſſe, qui abundant peccato, nec diu arma retenturos, aut perniciem effugituros, qui ſic manu ſuperba Contra Te & clariſſima Conſcientiarum ſuarum teſtimonia perſeverantes pugnare

plus

plus adverſos ſeipſos quàm Me pugnant, dum peccatis ſuis tuæ Iuſtitiæ, a divitiis, aliorum Injuriis, à Numeris ſuis Tumultuantibus, & ab his Confuſioni exponuntur.

Quanquam promptè admodum & alacriter in exitium meum coiverint, ne, ſaxis, cum eorum ruina procumbam.

Fac ne nimis cogitando, vel quid Illi fecerint vel quæ Ipſe (in initio præſertim) paſſus fuerim, immemor fiam Illius Servatoris mei Crucifixi, *ut Ignorantia valeat in veniam Cauſa, & in ipſis* Mortis *angoribus ad Te precor, Domine,* Pater *Ignoſce quia ignorant quid faciunt.*

Lachrymas quas negarunt mihi in calamitoſiſſima mea Fortuna, fac Tuâ Gratiâ ut pro ſeipſis profundant, qui quo minus pro Me doleant, eò impenſius pro ſe debent ingemiſcere.

O ne Sanguis Meus ſuper Eos & Filios eorum, quos fraus nonnullorum & prava ſtudia, non propria ſua malitia ad Me Crucifigendum *inſtigavit.*

Tu vero Domine potes & velis Me per has meas (quemadmodum olim Redemptorem *meum) perpeſſiones exaltare ſimul & perficere, in quibus plus Miſericordiæ tuæ quàm Iuſtitiæ, vel humanæ ſævitiæ agnoſco.*

27. *Ad*

27. *Ad Principem* Walliæ.

Fili Mi,

SI ad Te hæ Chartæ (cui inprimis deſtinantur) pervenerint unâ cum aliis nonnullis (in quibus privata ſenſa animi mei & rectiſſimè intuentis Conſcientiæ explicui circa res præcipuas in hoc Noviſſimo Motu agitatas) hactenùs forſan utiles erunt, ut judicium Tuum de *præteritis* (quibus in *pietatem* uti *optimè* uti eſt) accuratiùs edoceatur, tum ratio aliqua oſtendatur, quâ *præſentibus* malis mederi liceat, & in futurum (ſi ſic Deo viſum fuerit) occurrere.

Fallitur interim mihi ſic optimè tædiùm & injuria longæ detentionis minuitur, cum hujus otii Mei & ſolitudinis fructum aliquem *Me* dignum, *Tibi* utilem percipiam; ne vel Tu deinceps vel quiſquã alius Cauſam meam ab Eventu æſtimet, nec ab Infœlicitate Judicium; eo quidem graviore, quod in partem tantam ipſe veneris & alii, quos juxta ac Me ipſum charos habeo, & quorum indignæ perpeſſio-

peſſiones mihi. ſunt propriis meis longè acerbiores.

Hoc vero *Tibi* in prudentiam ultra alios *Principes* acceſſit, quòd annos aliquot ætatis tuæ matureſcentis in patientiæ exercitio & duris temporibus exegiſti, ſub quibus *Pietas* non minùs quàm *Virtutes* cæteræ Morales & Politicæ (velut ſurculi in hyeme ſati) fœliciùs fere ſuccreſcunt, quàm in calore & ſerenitate meliorum temporum, vel inter illa voluptatum blandimenta, quæ in Pace & rerum affluentia Aulis Principum nimis hærent, quæque omnem Veræ Virtutis & Honoris *herbam* vel ſtirpitùs evellunt, vel ſat habent *Frondibus* earum & marceſcenti ſpecie ornari, nullo fructu in publicum,) in quod utinam ſeriò cogitarent *Principes* ſe & natos maximè & à Deo deſtinatos.

Jam, quæ vis ſit diverſæ educationis Sacra Pagina oſtendit in exemplis *Davidis* & *Rehoboam*, quorum alterum multæ ærumnæ in florentiſſimum Regnum præpararunt, hic Aulæ *Salomonis* fœlicitate nimiâ emollitus eſt; atque adeo cum grandi detrimento Honoris & Pacis, tum ipſius etiam Regni mutilatione, corruptus ab eorum adulationibus, qui (non ſecus ac muſcæ æſtivis fructibus) rebus Principum *ſecundis* indivulſè hærent, dùm *adverſis* tandem ut hyeme abigantur.

Te verò magis exopto *Carolo* illi *Bono* quam *Grandi* ſimilem: Deum ſpero utrumque effecturum, cùm in Te dona collata & Gratias

tias ita ſtatim exerceri voluerit, atque eo prorſus modo quo vitioſi affectus optimè poſſint extirpari, & in ea demum ſtudia & virtutes Regias præparari, queis, eorum in quos Te Deus conſtituerit, & amorem maximè potes conciliare & ſaluti conſulere.

A *Deo auſpicari* te quàm maximè cupio, & cum Deo *finire*, qui eſt Rex Regum, & Supremus Regnorum diſpenſator, qui dejicit alios, alios extollit.

Verus *Principis* honos in promovenda Dei *Gloria*, in tuenda vera *Religione* & Eccleſiæ *Bono* conſiſtit, tum Poteſtatem Civilem ea *Juſtitiâ* & *Honore* adminiſtrando qui Bono Publico maximè conducat.

Florentem te ſatis præſtabit *Pietas*, à miſeria ſaltem immunem cuſtodiet: quamquàm *levi* admodum damno afficitur, qui in ſalutem *Animæ* perdit *omnia*.

Ad hoc *Centrum* veræ fœlicitatis direxit Deus ſuâ miſericordia, & (ut ſpero) etiam directurus eſt nigras illas omnes ærumnarum *lineas* ſuper Me eo fine *productas* ut per has ad ſe propius adduceret. Tu jam *Calicem* libâſti, quem ego largè hauſi, quod ut Dei *Pharmacum* accipio, quod deeſt ſuavitatis ſalubritate compenſans.

Id vero tibi expeto potiſſimùm, (quod & ſpero jam factum) ut in *Religione* firmus radiceris, quam ego ſemper exiſtimavi in Eccleſia *Anglicana* (cujus Tu alumnus es) optimè fuiſſe inſtitutam, opto verò ut *Ratione* &

Judicio

Iudicio rata fiat illa *Educationis Scriptura* nec aliorum *Traditis* & *Conſuetudini* ſolùm debeatur.

In hac diſtrictè edico ut perſtes: ut cujus maximè doctrina *Dei Verbo*, & Primitivis *Exemplis* Diſciplina reſpondet, pauculis tantum emendatis quæ alibi declarata ſæpe Illis ſed fruſtra propoſui.

Vt firmus ſis *Religioni* non erit in *animæ* magis quàm in *Regnorum* Pacem, cùm Deus Te illis reſtituerit.

Illud enim plærunque videre eſt, hunc Perduellionis *Diabolum* ſe in *Angelum* Pacis transformare, & inter *Veteris* Serpentis aſtutias eſſe, *Novam* lucem ſimulare. Exclamanti in Illos conſcientiæ factionumq; & ſeditionum reos peragenti, os ſtatim obturant *Religionis* ſtrepitu, hortanti ad *Pacem* & patientiam Pietati ipſi *Zelum* contra vociferantes reclamant.

Quamobrem, niſi hîc fixo ſis animo, & confirmato, nunquam deerunt tentamenta: queis ſub Obtentu *Reformationis* Tibi pariter & Tùis perniciem ſtruent, hoc enim colore hominum deterrimi exitioſa ſua conſilia ordiuntur.

Præter enim quod ipſa *Novitas* vulgi ſatis per ſe illecebra eſt, geſtit quiſque æmulo ſtudio famam Zeli externâ *Reformatione* acquirere, ita *propriam* meliùs Impietatem & turpitudinem velare ſperantes quò ſeveriorem in *alios* Cenſuram exercent.

Vide ne *Factionem* ullam foveas à Religione

(in

(in Eccleſia conſtituta, & Judicio tua conſona) ex profeſſo diſcrepantem : cuicunq; enim Parti adhæſeris, haud ita Illos *demereberis* qui in Regiam Religionem ire prompti, quàm Illos penitùs *inconciliabis*, qui ſe ſpretos primùm exiſtimabunt ut deinde opprimantur. Eam ergo rationem inſtituas quæ manſuetudine & charitate æquiſſimâ controverſias (quæ apparent) & offenſas removeant, vel ita firmâ & validâ Poteſtate utaris, ut nulli Parti *aſſentari* neceſſe habeas, nec ab ulla *metuere*. Si enim aliqua Te huc impulerit neceſſitas ut precariam ab illis opem exſpectare oporteat, periiſti. Devorabit *Columbam* Serpens, nec minùs ab ullis Juſtitiæ, fidei, humanitatis ſperaveris, quàm quos *Pietas* ſua fecit *Proditores*. His quicquid in rem ſuam fore putant, *Dei Cauſa* eſt : ſub vexillis pietatis producuntur omnes vafræ Ambitionis artes maxima ſecuritate & plauſu populi : Vox *Iacobi* auditur, ſed *Eſavi* manus duras ſenties.

Nil mihi per annos complures levioris momenti videbatur, quàm Factio *Presbyteralis* in *Anglia*, ita publicè conſtitutis morem geſſerunt, nec revera quoad ſpeciem multi erant, vel in *Eccleſia* aut *Statu* pollens factio : ut vero Irâ & odiis divelli invicem cœperunt homines & in partes ſecedere (non ſecus ac pravi ſolent humores in partem malè affectam defluere, unde fit inflammatio in Corpore) ita omnes Novarum rerum avidi illi Parti potiſſimum adhæſerunt, quæ tunc maximè plauſibili, & inſigniori

inſigniori Pietatis notâ diſtincta à cæteris videbatur.

Omnes in initio *Factiones* minores officioſè admodùm *Presbyteratui* magno omnium Domino ſamulabantur, donec tempus & Fortuna Belli (cùm jam melius erudirentur, quid ex uſu magis foret ſingulis) hortabantur ut ſorte diviſâ (quæ nuper ſub *Uniformis Religionis* nomine eadem omnibus eſſe videbatur) peculiarem, jam quiſque rationem capeſſerent, quâ lucro ſuo maximè & fortunæ conſulerēt, unde non ſolùm labefactata eſt & ad internecionem pene redacta *Eccleſia* & *Reſpublica*, ſed ipſe etiam *Presbyteratus* qui jam omnia *Spe* devoraverat.

Nil igitur Tibi *exiguum* videatur aut contemnendum in quo de Pace *Eccleſiæ* aut *Religione* agitur, ut negligentior fias propterea vel in maturè reformãdo, vel efficaciter coërcendo Errores illos & Schiſmata, quæ licet parva in initio inſtar *volæ manus* appareant, ſeditioſis poſteà Spiritibus ut vehementibus ventis impulſi *toto Cœlo* repentè offunduntur.

Cum *Deo* primùm & *Animæ* Tuæ & *Eccleſiæ* debitum feceris, *Veritatem* & *Unitatem* Religionis profitendo ſimul & conſervando, proxima tibi eſſe debet (ut in quâ cardo fœlicitatis tuæ valde vertitur) *Civilis* Cura *Iuſtitiæ*, cujus Regula & optimè adminiſtrandi norma Leges ſunt in his Regnis (ad Te Jure hæreditario deventuris) conſtitutæ; quæ admirabili planè miſturâ ita Subditorum *Induſtriæ*,

ſtriæ, Libertati, cæteriſque commodis favent, ut ſatis interim *Regiæ* Majeſtati & *Prærogativæ* relinquatur; modo Rex fuerit ejuſmodi, qui Populum ſuum pro *Subditis* non pro *Servis* habeat; hujuſmodi enim ſubjectione, quemadmodum optimè conſervatur Pax eorum & ſalus & peculiares cujuſque *proprietates*, ita nec Jus tuum violabitur nec illa Populi Libertas ingenua, quæ in percipiendis Laboris ſui fructibus; Legumque, in quas Ipſi conſenſere, beneficio conſiſtit.

Nunquam *Caput* Tuum premat Corona ejuſmodi ſub cujus pondere totum *Corpus* labaſcat, quod in partibus infirmatum nil jam Capiti viciſſim honoris, roboris, Incolumitatis referet, ſed debilitari ſimul faciet & procumbere.

Optimè *Prærogativam* tuam exercebis & oſtendes ſi *relaxes* Legum magis quàm *intendas* rigorem, cùm Tyrannide ex Lege agente, nil deterius.

In his duobus præcipuis conſervatione *Religionis* ſtabilitæ & *Legum*, puto Me minimè vanum futurum, ſi dixero probra iſta in Me coram Mundo congeſta in Martyrii honorem apud Conſcientiam meam ceſſura, cùm hi Regni Mei perturbatores nihil aliud fere contra Me afferunt, quàm quod *Leges* & *Religionem* Sancitam Novationibus Illorum prætulerim.

Id enim facio revera, & ſemper faciam dum potioribus argumentis convincar, quàm quibus hactenus Me oppugnârunt *Turbis, Præliis, Carceribus*.

Illud

Illud nondum intelligo, nec tibi unquam ſpero fore perſuaſum: Tutum eſſe Regi in cujuſcunque *Factionis* gratiam turbare *Leges*, in quibus res maximè Publica, & Bonum Populi involvitur.

Quid de Me Deus facturus eſt, vel quâ Me tandem ratione his (quas à Subditis Meis iniquiſſimè, ab illo juſte patior) ærumnis expediet, adhuc ignoro, nec ſum admodum ſollicitus quid injuriæ mihi fiat ab *hominibus*, dum quod rectum videtur coram *Deo* retineam.

Ultro omnia largiebar ad Reformationem aut ſecuritatem neceſſaria, quę Honeſtas, Conſcientia, Ratio permiſit, ea ſolum excipiens in quæ conſentire non poſſum ſine Summa Animæ Meæ, tum *Eccleſiæ* & *Populi* injuria, tum in Te præcipuè proximum Regnorum & indubitatum Hæredem.

Ad quæ ſi poſt exceſſum meum Te Divina Providentia (cui nil arduum omnino) perduxerit, id imprimis moneo & præcipio, ut ſeriò tecum velis perpendere ſuperiores illas ſeu *veras* ſeu *imputatas* malorum cauſas, ut ſic meliùs in poſterum effugias.

Nunquam ita cujuſquam Conſilio, Prudentiâ, Fide nitaris in rebus illis *Primæ Magnitudinis* Pietate ſcilicet & Juſtitia, ut Judicio tuo proprio diffidas vel aliis cauſam des ſuſpicandi, cum veriſimile ſit multo Te rectiùs & firmius *Coronæ* & *Regni* commodis, quam quenquam alium velle conſulere.

Cave ne ullam *Factionem* irrites acerbitate quorun-

quorundam & pervicacia, quos huic curæ præfeceris, qui affectibus ſuis nimium & proprio animi impetu acti, vel nonnullâ opinionum diſcrepantiâ in rebus levioribus (extima tantum Ora & *Suburbiis* Religionis) in rigidiora forſan aſperantur.

Siquidē hîc leniter connivendo & Chriſtiana Charitate tolerando facile vires eorum infirmabis quas pertinaciùs obluctando confirmas: dum pars contempta & oppreſſa in eas ſemper conſpirationes ire promptior,unde ſint meliùs expleturi illam vindictæ libidinem in Illos ſuos, ut vocant, *Perſequutores*, in qua præſto opitularur Vulgi miſeratio,in eos ſemper propenſi qui videntur *Religionis* cauſâ dura pati.

Illud interim videndum, ut hoc fiat in ejuſmodi Diſcrepantiis quæ nec *Legibus* præfractè nec *Politiæ* adverſantur, nec Fundamenta *Religionis* conſtitutæ (quod omninò non ferendum) oppugnant.

Semper ſolidam pietatem, & *Fundamentales* illas Veritates queis & Corda & Vitæ emendantur,integra prorſus Juſtitiâ nec favore minùs propugnes.

Vide ne illæ in Sacris *Circumſtantiæ* & *exterior* Religionis *Forma* omnia præmia doctrinæ induſtriæ & pietatis auferant, quin integerrimo oculo & manu diſpertiantur in omnes probitate & ſcientia laudatos.

Ita Corda tibi *optimorum* & *plurimorum* etiam conciliabis, qui etiamſi non ſint optimi, tamen ſatis delectantur, cum ſic aſperi calles

calles virtutis ſæcularibus præmiis levigentur.

Vides Me diverſis factionibus & inter ſe pugnantibus conflictatum (ita enim reverà appellandæ ſunt, quæ conſtitutis in *Eccleſia* & *Statu* refragantur) qui, ut primùm *Communes Adverſarios* (id eſt omnes Mihi & Legibus adhærentes) expugnaverant, ſtatim mutuis ita inter ſe æmulationibus ſcindebantur, ut eſſent multo plùs invicem quàm Illis Primis ſuis Hoſtibus infenſi.

Tempus hæc aliquando diſſipabit, cùm Privat Ambitus & Avaritiæ exerent ſe tandem & emicabunt dura *Cornua* nuper molli Illo *Pietatis*, *Reformationis*, *Libertatis* involucro abſcondita. Pari ſint utcunque ſævitiâ, juſtiori tamen Odio proſequimur quos in *Ovium Veſtimentis* Lupos deprehendimus.

Quod ad deluſum vulgus attinet, qui merâ Cordis ſimplicitate opportuni magis fiunt huic fraudi, id te monitum volo, ut (quemadmodum non eſt eadem tibi cum aliis neceſſitas ſimulatò & vafrè agendi, ita) vera pietate & virtute & conſtanti in Populum bonitate, eos omnes ſuperare contendas qui hæc maximè amant oſtentare: ſic enim nec deprendi metuès (quæ illos ſemper exercet ſollicitudo qui *perſonati* vivunt) nec juſtas Spes Populi fruſtraveris, quas majores merito reponent in vera Principis *Virtute*, quàm cujuſcunque factioſa *Novitate*.

Cum vero has Moles Factionum velut Montes

Montes *gelu* horridos, radiis Divinæ Miſericordiæ & virtutis Tuæ ſplendore *ſolveris* penitus & *colliquaveris*, & vulgus hactenus deluſum intellexerit nullos magis fortunis & conſcientiis ſuis *inimicos*, quàm qui ſe *vindices* præcipuos & *Patronos* jactant eo tantum conſilio ut in utraſque invadant, cave ne ullâ animi impotentiâ ultionem in eos mediteris, quos peccatum ſuum & ſtultitia ſatis caſtigabit.

Cum autem hanc *Factionum* & æmulantium invicem *ſtudiorum* venenatam cuſpidem eduxeris, omni Arte Regiâ & Clementiâ ad medicanda hæc vulnera incumbas eo temperamento adhibito ut non ſit dolor *remedii morbo* æqualis.

Ultro detuli Impunitatem & Amneſtiam tàm amplam ut vel omnes complecteretur qui ſe Legi obnoxios dubitarent, & futuras *ſuſpiciones* & metus excluderet.

Quem à Te etiam obſervari morem cupio, quoties hæc vel *petunt* homines vel ſint parati *accipere*, ut eo modo largiaris, quo non mera *neceſſitate* aut Politicis rationibus expreſſa, ſed à Chriſtiana *Charitate* voluntariò profecta videantur.

Nihil Mihi aliud jam ſupereſt niſi poſſe condonare etiam iis qui Me omnibus ſpoliârunt, atque hîc Dei gratiam agnoſco, quod ſim animo in hoc paratiſſimo, nec Me minus conſolatur hæc Gratia, quam quæ unquam Deus dedit jucundiſſima, cùm ſit Divini in

Me

Me Amoris certius indicium, quàm ulla in rebus ſecundis fœlicitas.

Illud interim mecum credas velim, plærosque eorum qui deliquerint, nulla hæc prorſus malitiâ, ſed vel falſis rumoribus deceptos, vel errore corruptos admiſiſſe.

Atque adeo in futurum nullos arbitror fidum magis obſequium præſtituros, quàm quos erroris ſui & Iniquitatis conſcios acres poſthac agitabunt pœnitentiæ ſtimuli, & vehementius deſiderium priores defectus compenſandi.

Te verò ut ſors tua *ſublimior* non permittit in ſingulare certamen *deſcendere*, ita multum infra celſæ mentis indolem ducas de vindicta cogitare, vel in plures iram effundere.

Quo magis conſcius es animi omni Populum virtute demereri ſolliciti, eò obſequii eorum & amoris ſecurior pœnam facile ob priora omittes: Plus ſynceræ haud dubio voluptatis capies uni alicui *ignoſcens*, quàm ſi mille *caſtigaveris*.

Hæc ad Te Scribo neutiquam deſperans de Divina in Te miſericordia & Subditorum affectu, quod utrunque promeriturum confido, licet reverâ apud Deum nihil, niſi Ipſius miſericordia, mereamur.

Si id Deo expedire videatur, ut *Me* & *Te* illis reſtituat, quæ à Legi tributa eripi nobis per Subditos, ſine atroci ſcelere non poſſunt, erit poſtea in Pace opportunitas Te liberius paulò admonendi de iis quæ ad Dei *Gloriam*

Tuum *Honorem* & *Pacem* Regnorum ſpectant. Sin ita res noſtræ ſe habeant, ut nunquam faciem meam denuò tueri liceat (& Me Deus in hoc ſævo carcere & tenebris (quod ad conſummanda nonnullorum conſilia unum deeſt) inhumari voluerit, ubi nullius benevoli alloquio nec conſpectu frui datur) id enixe à Te peto & obteſtor *Patris* jure & *Regis*, ut nihil inde offenſiore ſis animo vel tantillum iniquiore in *Religionem* in *Anglia* ſtabilitam.

Hanc enim ſeriò exploravi, & poſt accuratam diſquiſitionem & plurima utrinque diſceptata optimam omnium eſſe concludo, non in genere ſolum ut *Chriſtianam*, ſed ſpeciatim inſuper ut R*eformatam*; ut quæ mediam viam tenet inter *pompam ſuperſtitioſæ* Tyrannidis, & *cerebroſæ* Anarchiæ *obſcuritatem*.

Quod non ita tamen accipi velim, quaſi non in primâ ejus delineatione, *doctrinâ* utcunque & *diſciplina* eximiâ, (id quod in aliis figuris contingit) expolitius poſſet aliquid & limatius fieri: quod & factum fuiſſet leni manu adhibitâ, niſi præceps nonnullorum vecordia & veſani impetus eam feram mutationem poſtulaſſent, quæ lineamenta & formam confunderet.

Quod verò à quibuſdam objicitur, ſcãdalum hic magnum fieri Religioni in *Anglia*, facile illis (vel ſaltem apud Te) refelles, ſi cogitaveris neminem fere eorum, qui hujus proximi Belli contra *Me* & *Eccleſiam* & *Leges* Authores aut incentores extitere, vel omnino amplexum

plexum hanc Doctrinam, vel ex Præſcripto vixiſſe *Proteſtantium* in *Angliâ* Profeſſionis; quæ nec has tradit *Regulas*, nec ulla oſtendit hujuſmodi ante iſtos *Exempla*.

Verum eſt, eam & olim fuiſſe nonnullorum audaciam ut ferocius quædam à *Principe* & *Parlamentis* petierint, ea obſcurè minitantes, quæ nunc iſti (ejuſdem farinæ, ſed deteriori ſpiritu) exequuntur. Cave interim ne ob fictum antiquorum & rabioſum Zelum quicquam veræ pietati detraxeris, ex Fructu enim utrunque dignoſces, nec ideo Vini, aut Ficus aſpernanda ſuavitas, quia *cardui* forſan & *vepres* hos fructus oſtentant, ut *arboribus cæteris dominentur*.

Quin nec à *Parlamentis* propterea abhorrendum cenſeo, à quibus ritè conſtitutis (*Libertate* ſua & *Honore* incolumi) nulla fiet Majeſtatis diminutio, ſed occaſio potius ſubminiſtrabitur mutuis invicem officiis certandi, amoriſque & obſequii & fiduciæ commercia inter *Principem* & *Populum* exercendi.

Quod haud dubie eveniſſet in hoc *Nigro* Parlamento (licet primis Electionibus multo ambitu corruptis) ſi ab inſolentia vulgi, & Tumultuantium Magiſterio immunius ſe conſervaſſet, quorum triſti exitu admonitos ſpero in poſterum futuros ſollicitiores in tuenda Libertate & Dignitate (quæ ejuſmodi decet Conventûs, & tum demum futura cùm hoc vulgi jugum projecerint) cùm res publica in *Principis* ſimul & *Populi* communi Bono verſatur.

 Ut

Ut cedat optimè univerſis, nulla meliùs ratione efficietur, quam ſi æquo, honeſto & gravi more Omnes ſimul conſilia in commune conferant, publico omnia conſenſu agantur ſine *Tumltu* & *Tyrannide*, non enim ideo nos fame necare oportet, quia ſalubres cibi nonnullis in nauſeam & morbum vertuntur.

Sin eò res devenerit, ut in Jura noſtra Regia nunquam amplius reſtituamur, & id ſeverâ Dei Juſtitiâ poſcente perſtituri ſint uſque Subditi Mei in peccatis ſuis, & proſpero ſcelere deludendi: Spero Gratiam Divinam id in *Te* & *Me* effecturam, ut ſimus æque *carendo* Diademati ac *geſtando* pares; quod profectò tanti non eſt ut inhoneſtis, ſordidis, & impiis conditionibus aut *ſervari* mereatur, aut ab humo *ſuſtolli*. Firmus *Pietati* & *Virtuti* maneas, nunquam *Regnum* deerit.

In hoc vero potiſſimum *Honori* tuo conſules, quo omnē promptius reverentiam & amorem detuleris, & in præſidium porro te ſtiteris *Vxori* Meæ, *Matri* Tuæ, de Me plurimis nominibus optime meritæ, & in his præcipue, quæ (cùm Me tot prius liberis ſummæ ſpei auxiſſet, quos omnes unâ cum Matre Amori Tuo & fidei commendo) raro *magnanimitatis* & *Patientiæ* exemplo pro *Me* & *Te* ſimul & nobiſcum unâ perpeſſa eſt.

Deum Omnipotentem veneror quicquid de Me facturus eſt, qui Innocentiâ Meâ & illius Gratiâ involvor ſatis & munior, ut te *Anchoram* protollat vel portum potius Calami-

toſis

toſis his Regnis & dura Hyeme jactatis utque tuâ demum *Prudentiâ, Iuſtitia,* *Pietate* reſtaures, quæ ſtultitia quorundam & nequitia ita pene peſſum dederunt ut nil integrum in *Eccleſia* vel *Statu* reliquerint, nil Coronæ, Proceribus, Clero, Communitati, nil quod ad Leges, Libertates, Fortunas attinet, quod ad Ordinem, Honorem, Conſcientiam & Vitam.

Sin vero Me penitus extinxerint, (haud enim ſcio an huc quoque proceſſura ſit hoſtium malitia & furor, & ex dictis quorundam & factis non obſcura ſuſpicio) quamvis illud non dubitandum, exclamaturum meum ſanguinem ad Cœlos uſque ob vindictam, Deum tamen obteſtor, ne iram ſuam velit in *illam* maximam partem effundere, qui fraude & artificio & ſimulata Ducum Sanctitate decepti: quos interno priùs horrore cruciatos manet atrox aliquando ſupplicium.

Cæteris in Me optimè affectis; nihil ſit (Deum precor) quod Me extinctum deſiderent, ita valde voveo & ſpero, ut Virtutes Tuæ conſpectæ in ſœlicitatem omnibus ſufficiant.

Eos vero quos perperam in Me admiſſorum pœnitentia ſubierit, (ut jam lubens condono verbo *Chriſtiani Regis*) ita in poſterum non dubito quin ſis verè fideles habiturus, amoremque & obſequium Mihi debitum promptos Tibi cum fœnore rependere.

Breviter, quicquid ego *mente agitavi* bo-

num Tu *perficias*, cùm Facultatem Deus dederit; multa palam tuli Me facturum, plura facere volebam, ſi Tempora fuiſſent ſecundiora.

Fraus iſta ſtatim evaneſcet, & perſona paſſim dilabetur. Nec iſte fucus & larva *Religionis* (quâ ſe hactenus texit *Rebellio*) amplius horum turpitudinem & dehoneſtamenta velabit: Satis enim hæc mea detentio, & inhumana tractatio demonſtrant quàm ſint de Me hi homines (quod ita valdè ſimulabant) ſolliciti.

Fœliciora Te (ut ſpero) exſpectant Tempora; cùm calamitate ſua edocti Subditi id jam verum repererint, *pietatem* in Deum & in Regem *Fidem* haud poſſe ſine *peccato* & *miſeria* divelli.

Deus Tibi benedicat, & in *Juſtitia* Regna, in Vera *Religione* animam, in *amore* Dei & *affectu* Populi tui Honorem tuum ſemper ſtabiliat.

Sin Ille meo interitu conſummandam hanc eorum perfidiam voluerit, ſit memoria Mei & nomen in Te uſque ſuperſtes, ut *Patris* Tui Amantiſſimi, & trium Florentiſſimorum Regnorum *Regis*, quem Deo ornare placuerat non *Sceptro* ſolum & *Imperio*, ſed ea porro *dignitate*, ut plurimas contumelias Ipſius cauſa perpeſſus immatura tandem morte raperer, dum illud unicè ſtuduerim ut Jura *Eccleſiæ*, vim *Legum*, Privilegia *Parlamentorum* & *Libertates* Populi conſervarem, & *Conſcientiam*

Meam,

Meam, inſuper mille Regnis chariorem.

Scio Deum poſſe (ſpero etiam & velle) Me reſtituere; nec de Illius *miſericordia*, nec de Populi Mei *amore* & *miſeratione* deſperabo.

Eveniat licet quod peſſimum; Id ſaltem confido Me Tibi in multo melius *Regnum* præceſſurum; quod Deus mihi, & Me illi præparavit per *Servatorem* meum *Ieſum Chriſtum*, cujus miſericordiæ Te & Omnes Meos commendo.

Vale; dum ſit rurſus congrediundi copia, ſi non in *Terris*, at in *Cælis*.

28. *Meditationes de Morte, poſtquam* Domus utraq; *de=nunciaſſet, nil amplius cum Rege* Tractan=dum, *& de Arctiori ejus Cuſtodia in Arce* Carisbrokiana.

SVpereſt jam *ſatis* otii & *nimis* cauſæ ut de Morte mediter, & Me illi parem: Pauci enim admodum paſſus reſtant inter *Carceres* Principum & *Sepulchra*.

Quòd hoc *ſpatium* cogitandi habeo, Dei indulgentia eſt: quod hanc triſtem *occaſionem*, hominum ſævitia.

Præter enim commune illud omnibus Mortalitatis

talitatis onus, ea inſuper accedunt dura onera, queis Me premunt aliorum *Ambitiones*, *Timores*, *Suſpiciones*, cæteræque impotentium animorum ſævæ perturbationes, queis livore & odio efferatis etiam Vita *ſua* foret inſuavis, ſi quid eſſet quod in *Mea* delectaret.

Deo Gratias habeo, nec in ſecundis meis nova erat mihi hæc Meditatio, nunquam importuna exiſtimanda, cùm ſint illa tam incerta: Eſt enim Mors *Ecclipſis* ejuſmodi, quæ in *ſudo* æquè fit ac in *nubilo* Tempore.

Meæ vero diuturnæ & acerbiſſimæ ærumnæ illos naturâ hoſtes infenſiſſimos *Vitam* & *Mortem* apud Me reduxerunt in gratiam. Illo *Terrore* communi prorſus liberor, & iſti mihi peculiares horrores multùm jam mitigantur: licet enim Mors mea tetra illa & horribili ſpecie appareat, quâ Me maxime percellere omni aſtu nituntur Hoſtes iſti feri & implacabiles, qui jam de fœce hauriunt quicquid eſt virulentiæ exprimentes: Deo tamen ſemper laus ſit, hæc contemplor ut aſpera quidem ſpicula, ſed non veneno mortifera, cum vel hæc Redemptor Meus Ipſe jam extraxerit, vel ſuæ Mortis porrexerit ſalutare *Antidotum*: quæ ut immatura, injuſta, pudenda, probris omnibus & ludibriis expoſita, ſuperavit quicquid poſſum timere.

Nunquam ita experimento didiceràm, quàm ſit *Bona Conſcientia convivium*, vel quid valeat *murus aheneus* ſani & integri animi Conſtantiæ, quàm in hoc congreſſu propiori, ubi manu

conſerta cum hac Mortis Meditatione dimicavi.

Non tam *diù* vixi, ut vitæ tædeat, nec tàm *malè* (opinor) ut vel pudeat *vivere*, vel pertimeſcam *mori*: verum eſt, in iis Me malis verſari, ut ſit abundè aliquando cur cupiam mori, niſi illud cogitarem maximam eam eſſe Chriſtianæ vitæ gloriam *mori quotidiè*, dum fide vivâ & ſpe vitæ melioris vincit illas mortes quotidianas, queis ſic per partes occidimur, & ſimus indies nobis ipſis ſuperſtites; id enim revera mors eſt, *Salute*, *Honore*, *Libertate* privari, & *ſolatiis* eorum qui ſunt nobis chariſſimi, & vitæ *vita*.

Vitam meam quidem (cùm Rex ſim) in nullâ æquè re humana arbitror ac in Populi *amore* ac *benevolentia* ſitam, ob quam mille mortes ſubii, atque adeo ſpero Me non hîc penitus interiiſſe: id tamen aggreſſi ſunt Hoſtes mei mendaciorum veneno & vi Armatâ, illum mihi primum Subditorum *amorem* & *obſequium* jugulare, & mox cuncta vitæ Gaudia, quæ ex his potiſſimùm percepi.

Parum jam mihi *vitæ* relſquerunt; nucleus tantum & putamen ſupereſt quod à cætera malitia auferatur, cùm ſint omnia mihi extincta ſolatia, quæ mihi vitam reddant expetibilem.

Ne vero (Anima mea) ne vitam illam vel dolore nimiam, vel moleſtam tædio putes, in qua Deus occaſiones ſuppeditat ſi non *agendi* at *ferendi* eâ Chriſtianâ Patientiâ in Bona

Cauſa

Cauſa & forti animo, unde maximum vitæ decus, & è morte lucrum accedat.

Chriſtianam enim fortitudinem ſi quis rectè æſtimet, puſilli eſt animi mori cupere, quia tædet vivere, & quo vacui arguimur illa vere Heroicâ & Chriſtiano digna Celſitudine quæ ſe optime oſtendit in has fortiter ærumnas ſuſtinendo, quæ, quamdiù in hoc Corpore verſamur, ſemper Nos velut umbra conſectantur, *contractiores* nonnunquam aut *porrectiores*, prout ſol rerum *ſecundarum* vel in Meridiem *aſcendit* vel in occaſum *declinat*, qui, cum totus abfuerit, rore Cœli optimè compenſatut.

Sunt quidem Afflictiones, velut ille *Sampſonis* Leo, primo ſuo Inſultu *terribiles*, ſed à quibus *ſuavitatem* expreſſerit qui hîc audet colluctari, & vincere, nec ægro nimis animo & imbecilli ferat ſupereſſe his *Cucurbitis* marceſcentibus, dum cum Deo verſari permittatur.

Me quandoque moriturum (ut *Hominem*) certiſſimum; poſſe Me Regem mori, manu Subditorum (violentâ, repentinâ, ſævâ Morte, in robuſta ætate, in medio Regnorum, ſpectantibus Amicis, nec auxilium ferre valentibus, & Triumphantibus Inimicis & Illudentibus Vivo, Morienti, Mortuo,) tot ſunt ſimul Argumenta cur fiat valde credibile, ut vix ſperare ab Hominibus meliora Deus jubeat, licet ab Illius miſericordia nil deſperem.

Novi vitam meam, à Malitia Diaboli, & impiorum hominum unicum jam diu ſcopum peti, eſſe tamen ſub Dei cuſtodia, cui, non ideo ut vitam longiorem eblandiar, ſic Me volo oſtendere paratum mori, ſed ab Ipſo humiliter pendere cupio, & Me totum Illius voluntati tum in *Vita* tum in *Morte* (quocunq; eas ordine diſpenſare placuerit) ſubmittere. Arduum fateor negotium tot diverſis Mortis horroribus (queis Me Deus tentari permittit) ſed pari omnibus atrocitate conflictari, dum vel furores cogitem repentinæ trucidationis: vel illas *Iudiciorum Formas*, quas forſan Hoſtes mei (non ſecùs ac Illi *Chriſti* interfectores) ſunt uſurpaturi, ut ſolenniore quâdam truculentiâ per hæc Juſtitiæ *ludibria* Malitiam ſuam conſumment: quod tamen aſtu neceſſario ideo forſan ſunt facturi, ut hâc *Pompâ* pereuntis minus mei miſereantur homines, in quem ut Noxium animadverti ex Jure credent (*Principem* videlicet à *Subditis*!) Ipſi interim non ignorantes nullam *Divinam* aut *Humanam* Legem hoc Illis concedere, ut *ſine* Me in quempiam alium, nedum *in* Me quicquam ſtatuant, quique omnibus Sacris (coram Deo & hominibus) vinculis Me tueri obligati, jam Perjurium ſuum quærunt hoc *Iuſtitiæ* pallio obtegere.

Miſera ſane conditio, ut quis Hoſtes ſuos habeat *Accuſatores*, *Actores*, *Iudices*, ſed illa omnium deploratiſſima, ut hæc *Subditorum* inſolentia in Regem audeat; eorumque qui rei hujus

hujus cladis maxime, Mei ſanguinis effuſione ſuas volunt lavare ab Illo tanto cruore innoxio, cujus nunc coram Deo & hominibus (& in conſcientiis ſuis credo) clarè damnantur, iniquiſſima illa *poſtulata Turbis* primum, mox *Armis* proſecuti. Nec ex ulla fere cauſâ magis viles & abjecti homines tam ferociter plerumque & timidâ quadam ſævitiâ exercent uſurpatam in legitimos Dominos poteſtatem, quàm conſcientiâ injuſte uſurpatæ: jactent quicquid velint de Juſtitia in *Delinquentes*, vetera illa figmenta & larvas ad celanda illa horrida & monſtroſa conſilia, qui Jus & Fructum *Vineæ* obtinere alias non poterant, ni *Hærede dejecto* & *interfecto*.

Maximum apud Hos crimen meum eſt, quòd *Verbo* meo noluerim *Me Eccleſiámque* & *Statum* ſimul perdere, vel illis copiam facere ut hoc *Gladio* impune perficerent, qui ambitione & Avaritia immensâ nullis à Me conceſſis vel ſatiari poſſunt unquam vel manſuefieri.

Nec credibile eſt illis unquam perſuaſum fore Regnum Illud *Carduorum* quòd à nonnullis erigitur (aſperum, imbecille, *ſterile* in Deum & homines) unquam alias poſſe effloreſcere, niſi Regio eorum ſanguine, quibus Jus ad Regnum, irrigetur.

Dei fiat voluntas: haud ambigo quin Hunc ſit olim habitura Innocentia Mea Præſidem ſibi maximum & Patronum, qui jam ſolus Judex eſt, & quem ſolum agnoſco Regum *Regem*,

non

non *Majeſtate* ſolùm, & eminenti *Potentia* ſuperiorem, ſed peculiari magis cura & ſollicitiori cuſtodia illos ambientem, qui cùm ſint maximi in Terris *Juſtitiæ*, *Legis*, *Religionis* Vindices, tot periculis jacent obnoxii, quot ſunt Homines, vel Dæmones qui hæc omnia volunt confundi.

Verum non ita diù patietur Deus in *Babele* ſua exaltari, qui hanc Regum oſſibus exſtruunt, & ſanguine cæmentant.

Vltores mortis meæ (certum habeo) inter ſeipſos reperient, & quæ in Me fecerunt multa mala, pœnas olim ab Illis repetentes, qui in nulla alia re fuerunt quàm in his malis concordes.

Clamor ſanguinis mei non ferendus eo tandem impellet, ut nulla meliùs ratione expiandum credant, quàm eorum viciſſim fundendo, qui meum juxta cum illis ſitierunt.

Quæ ſit triſtis omnium confuſio interitum meum ſecutura, nimis certis argumentis præſagio ex his quæ dudum vidi in hoc Statu rerum afflictiſſimo: in quo Deus (qui ſolus potuit) ſæpè cauſam meam aſſeruit, nec impune Illis eſſe permiſit, quorum Confœderatio in ſcelere maximum hic videbatur præſidium; quibus cauſa eſt abunde cur metuant ne ſit amplius illos diſtracturus, & ultione mutuâ perditurus.

Ego *Mortem* ſpero vincere *Chriſti* Virtute & Amore, qui Victoria *Reſurrectionis* Suæ & *Aſcenſionis* Gloria *Vim* omnem Mortis abſorpſit.

Proxi-

Proximum mihi ingens ſolatium eſt, non mihi ſolum hunc honorem haberi, ut, exemplo Illius Juſtitiæ cauſâ patiar (*Tyrannidis* utcunque & *Injuſtitiæ* fœdis criminibus aſperſus) ſed & veſtigia ſequar Charitatis, quæ pulcherrimâ docet ratione & *ulciſci* hoſtes noſtros & *vincere*. Hâc ergo Dei gratiâ inſtructus & ignoſcere illis poſſum, & precari, ne illis velit ulterius ſanguinem meum imputare, quàm hactenùs tantum, ut intelligant quàm valde opus habeant *Chriſti* ſanguine, ut ſint puri noſtro ſic effuſo.

Nullam aliam in præſens Hoſtes mei *Regulam Iuſtitiæ* præter ſuam *Voluntatē* agnoſcunt: hanc Vi menſurant, ſucceſſu urgent; in hoc enim ſibi blandiuntur, *tutos* ſe fore meo *periculo*, & in mea *morte* ſuam *vitam*; illud interim non cogitantes, quod quemadmodum maxima ad peccandum tentamenta fœlicitatis quadam apparentia tecta ſæpius & involuta porriguntur, ita ſeveram Dei iram maxime perfici, cum facinoroſa ſua conſilia nefarii homines conſummaverint.

Deo gratias ago, haud magis enixè Me precari ut hoc à Me violentæ Mortis *acerbum poculum*, quàm ut ab Illis tranſeat *Iracundia*, quos vel mei deſertores ſparſit ſanguis meus, vel incumbentes aut aſſentientes Morti meæ temeravit.

Circumſcripſit *Dei* voluntas, & concluſit *Meam*: Ea mihi in Morte *voluptas*, nullam è vindicta *voluptatem* capere; Hoc *Chriſtia-*

num in Inimicos, *Regem* in Subditos decet.

Nil Mihi poſſunt eripere, quod non libens amittam cum Deo viſum fuerit per has manus adimere. Compenſabit infinitâ ſuâ Miſericordiâ, queis nunc humanâ iniquitate æquum putat me privare.

Decus Mortem ſequuturum totum illud exſuperat, quo vel potiri hîc poteram, vel cogitare.

Non illas graves ampliùs & invidioſas hujus Mundi *Coronas* deſiderabo, cùm Me Deus miſericordiâ coronaverit, & in Gloria Gratias ſuas conſummaverit, & hanc umbram *Terreſtrium* Regnorum illo verè *Cœleſti* permutaverit.

Quod ad Mundi probra, & imputatæ *Tyrannidis* calumnias, ipſa poſthac Mei Interemptorum neceſſaria & acerba ſævitia ſâtis omnes per ſe confutabit.

Horum interim qui optimi & cordatiſſimi ſunt fidem ſalvam mihi & amorem manere non dubito, quorum multi Me lachrymis & precibus proſequuti ſunt, libenter in meam gratiam vel mecum unâ morituri.

Excuſabunt hi facile ſi qui fuerint lapſus humani, & nihilo minùs officium ſuum ut Regi præſtabunt, cùm ſit nulla tanta à Religione neceſſitas, quæ ſub obtentu puniendi cogat *Subditos* omnia *Principum* crimina *ſuperare*, quæ etiamſi fuiſſet, hîc certè locum non habet, ubi tam prolixa in publicum compenſatio facta eſt, quæque ne *publicè* gauderetur *privata* Ambitio eluſit: Cre-

Credo eſſe nonnullos manſuetioris ingenii, qui è ruina Mea minùs creverunt, qui jam ſtimulos aliquot aſperiores & conſcientiæ morſus ſentiunt, cùm jam facinorum ſuorum effigiem, & lineamenta quaſi expreſſa in ſimilibus aliquot pœnis agnovere, qui certe vix ſperare jam poſſunt *pollices manuum* & *pedum* integros ſibi diù manſuros, qui (quaſi *ungues* tantum præſecturi) mihi Robur maximum amputarunt.

Inſolentiores vero & contumaciores poteſt Deus inſolenti quâdam & inuſitatâ plaga (velut *Corah* & illius conſortes in Principem ſimul & Sacerdotem murmurantes) opprimere, ut nempe *Terræ* filii (*infima* illa & contemptiſſima *Populi* pars) *os* in illos aperiat, & (juſtiſſimo Dominationis *malè* partæ *pejus* geſtæ faſtidio) hauriat penitus & abſorbeat (ille ipſe inquam *Populus*) cujus maximè fulcimento ſubnixi, hæc in *Me* & *Eccleſiam* & *Statum* conſtruxerunt.

Solatium Mihi in Morte præcipuum eſt illa Pax quam ſpero cum Deo factam: ad cujus rigidum Tribunal non verebor comparere, & illam cauſam aſſerere inter *Me* & *Hoſtes* meos (nullo merito meo infenſos) Gladiq; tamdiù diſputatam, haud dubitans quin illius rectiſſimo judicio iſtæ omnes argutiæ refellentur, queis (*Sophiſtarum* magis quàm *Chriſtianorum* more) à ſucceſſu argumenta in cauſam faciunt, quaſi ſic Deus oſtenderit illam ſibi approbari, cujus ſapiens Providentia multa ſæpe

permittit

permittit evenire, quæ à Revelato Dei Verbo (ſolâ Bonæ *Conſcientiæ* & *Actionum* clarâ, ſtatâ, tutâ Regula) multum abeſt ut *comprobentur*.

Atque adeo confido, Cauſæ meæ Juſtitiâ & Conſcientiæ Rectitudine *Me* tanto *Illis* futurum in Foro Dei ſuperiorem, quanto *Illos* ſupra *Me* extulit Fortuna in illo Vulgi judicio; qui non cogitat plurima ſæpe hominum facinora ad *Cœlos* uſque attolli plauſu mundi, qui ſi ex injuſtitia & ſcelerato fine cenſeantur, *ex Inferno* aſcendunt: Quin nec Aura illa ſecunda quæ Piratæ velum implet, ſtatim ipſius latrocinia & rapinas excuſat.

Multo interim libentiùs & alacriùs fero *perdidiſſe* hanc litem (quam coactus admodum ſuſcepi, ad aſſerendas *Leges* Regni, *Libertatem* & *Honorem* Parlamentarium, *Iura* Coronæ, juſtas Subditorum *Immunitates*, & veram *Religionem* Chriſtianam in *Doctrina*, *Diſciplina*, cæteriſque incitamentis & præmiis debitis) quàm ſi multo Bello potior ad hæc omnia opprimenda *valuiſſem*; id quod nonnulli jam palam faciunt, quicquid priùs ſimulaverant.

Plurimum interim mihi proderit *Patientia* amicorum & *Preces* ad mitigandam hujus *poculi* amaritudinem, quam ut à Dei manu (ſi ſic fieri neceſſe ſit) libentius accipio & haurio, quàm ab illis porrigitur eâ ſæva & impia manu contra Me toties levatâ.

In his autem extremis, plus *Hoſtibus* videor quàm *Amicis* debere: illi finem imponent

ærumnoſæ

ærumnoſæ hujus vitæ peccatis ſimul & doloribus, hi forſan Me utriſque adhuc volunt conflictari.

Ero *plus quam Victor* corroborante Me *Chriſto* propter quem (*Veritatis*, *Ordinis*, *Pacis* Authorem) hactenùs perpetior. In horum enim maxime gratiam contra *Errores*, *Factiones*, *Confuſionem* pugnavi.

Mors jam violenta (ſi ſubire oporteat) nihil aliud eſt quàm Mortalitas coronata Martyrio; ubi naturæ *Debitum* ex peccato contractum valebit in *donum* Deo à Patientia & Fide oblatum.

Quod humillimè obteſtor ut in Miſericordia *accipiat*, & licet Mors ut à Deo *immiſſa*, ſit peccati mei *ſtipendium*, ut vero ab hominibus *inflicta* ſummum aliorum in Deum & Me *Crimen*: quemadmodum tamen ſpero ita remiſſa mihi fore peccata mea, ut nihil ex his inamareſcat magis Mortis poculum, ita Deum enixè precor ut illis ignoſcat, ad quos Crimen Mortis meæ ſpectat maxime.

Illuſtriora erunt multò *Charitatis* noſtræ in Illos *Trophæa*, quàm Eorum in Me male adminiſtratæ *Victoriæ*.

Proſpero quantumvis ſint peccato uſi, pœnitentiâ opus eſt, ut ſit veniæ locus, quam vehementer illis à Deo expoſco: né ye Mors mea ab illis *temporaria* illorum *æternâ* vindicetur; ita enim mecum reputo, multo minus deprecari oportere *præſentaneum* cujuſcunque *Regis* interitum, quàm vel minimi e *Populo* damnationem *æternam*.

Mihi

Mihi ſatis ex voto erit, ſi Me in *fluctus* expoſito tutò *Navis* ad portum appellat (mirum licet videatur haud aliàs mitigari à *Nautis* poſſe quam procellam excitarunt niſi *Navicularium* ſuum in Mare deturbando.)

Deo gratias habeo, nulla hoſtium immanitas obſtabit quo minùs ad illam paratus accedam! quibus in hoc ſaltem fruſtra erit malitia, quod non ſint voluptatem habituri *animam* unâ cum *corpore* perimendi: de cujus ſalute, dum & ipſi videntur & *alios* jubent deſperare, ſatis clarè oſtenderunt haud de eâ eſſe valdè ſollicitos.

Quorum ſæva cuſtodia, & nulla Charitas *Sacellanorum* ſubſidia arcentium, *aperuit* Mihi potius quàm *obſtruxit* viam ad Thronum Cœli.

Ubi tu habitas Rex Regum qui imples Cœlum & Terras, qui es Fons Vitæ Æternæ, in quo nulla Umbra Mortis.

Tu Deus juſtè Mortem nobis infligis, & Miſericors Servator ex illa liberas, & in illa conſervas.

Præſtat nobis ipſis mori & in Te vivere, quàm vivendo Nobis, Te fraudari.

O Illa Mortis Meæ acerbitatem ut Hominis & Regis augentia proſint in Incrementa Gratiarum, & Solatia Animæ ut Chriſtiano.

Si Tu mecum ſis futurus Domine, nulla ſentiam nulla pertimeſcam mala, etiamſi ambulem in valle lethalis Umbræ. Cum

Cum Morte luctari quivis poteſt infirmus licet & mortalis, ſuperiorem vero in hac lucta fieri, tuæ Gratiæ opus eſt qui es Deus Omnipotens & Immortalis.

Tu qui noſti expertus Servator Meus quid ſit mori mecum ut Hominem, fac Me viciſsim cognoſcere, quid ſit tecum per Mortem ad Vitam (Deus Meus) tranſire.

Emoriar licet, ſcio tamen Te Redemptorem Meum in æternum viuere, etiam Me occidendo addis animum, ut Tibi de Vita Æterna ſecurus credam.

O ne favorem Tuum ſubtraxeris Vitâ longè potiorem.

O ne procul à Me abſceſſeris, quàm enim propè immineat violenta & ſæva mors, ignoro.

Vt Omnipotentia Tua (Deus) palam facit; ita poteſt Omniſcientia evertere improba eorum conſilia qui conjuravere perniciem meam, vel conjurabunt.

O per Eorum malum animum bonam Tuam voluntatem pateſacias.

Veniam das Mihi, ut Homini, Orare, ut hoc à Me tranſeat poculum, ſed Chriſtianum docuiſti Chriſti exemplo adjicere, Non Mea ſed Tua voluntas fiat.

Etiam (Domine) una fiat & eadem voluntas noſtra dum in Tuam Mea convertatur, ne ſit ulla in Me tanta vitæ cupiditas, quàm ut faciam & feram Voluntatem Tuam tàm in Vita ac Morte.

Quemadmodum credo te mihi omnes vitæ meæ condonaſſe errores, ita ſpero etiam & Mortis propulſaturum terrores. Fac

Fac ut libens, relinquam hoc Mundi Nihilum, ut in Te cunctis ſolidè fruar, qui mihi Chriſtum feciſti in vita lucrum, in Morte Incrementum.

Sint licet ſui in Me & in Te officii Intercemptores Mei valde immemores, ne te habeant propterea Miſericordiæ Tuæ in Illos immemorem.

Quid enim lucri erit in ſanguine meo, vel quid è Regnis commodi, ſi hi Animâ ſuâ multentur?

Imo (Dominè) non ii ſolum qui Legitimam Poteſtatem oppugnarunt, ſed qui uſurparunt penitùs & in Me obverterunt, licet valde mereantur Damnationem, in ſe non recipiant.

Tu Filium Tuum Crucifigentibus Servatorem eundem præſtitiſti, uno opere ab Illis violenta, & pro Illis voluntaria patientem.

O Vox Sanguinis Illius pro Interfectoribus Meis exaudiatur, & Clamorem Sanguinis Mei ex adverſo obruat.

Fac illos capaces Miſericordiæ Tuæ de peccatis ſuis prius convincendo, nec deludant & perimant Animas ſuas, falſis ampliùs Iuſtitiæ in cædem meam coloribus, quos Poteſtatis iniquiſſimè uſurpatæ conſcientia maximè omnium in hos furores extimulat.

Tu Domine cognoſcis Illorum in Me miſericordias valde mendaces, valde immanes, qui ſe de ſalute mea ſollicitos ſimulantes nil niſi perniciem ſtruebant.

O ne cum illis agas ut Viris Sanguinum *& doloſis, ſed vincas eorum ſævitiam Tua Miſericordia, Mea Charitate.*

Et cum de Sanguine Meo inquiſiveris, ô ſparge

ge Eorum temeratas licet at pœnitentes animas Filii tui Sanguine, ut Interfector *Angelus prætereat.*

Quanquam nimis anguſta Regna Mea viderentur quæ Me & Illos ſimul caperent, capax Illud tamen Miſericordiæ Tuæ Immenſæ Regnum Me & Illos ſimul complectatur.

Cum reconciliati Tibi (Domine) ejuſdem Redemptoris Sanguine, longe ſupra evademus ambitioſa illa deſideria, unde fera hæc odia procreantur.

Et cùm in Me Manus eorum incubuerint crudeli maximè & gravi pondere, O in brachia cadam teneræ Tuæ, & æternæ Miſericordiæ.

Dimitte (Domine) Famulum Tuum in Pace, nam viderunt oculi Mei Salutare Tuum.

Vota dabunt, quæ bella negarunt.

FINIS.

EXPLICANTUR NONNULLORUM CAPITUM pauca quædam obſcuriora.

CAP. I.

QVibus partium ſtudiis Deputatorum Electiones.] *Innuit præcipue illas Deputatorum ab Oppidis & Municipiis, qui cùm à paucis admodum crearentur facile erat Nobili cuiquam aut Factioſo quem vellet eligendum obtrudere. In his magna Fraus eorum & Ambitus, qui in Regem & Eccleſiam malevoli.*

CAP. II.

Comitis Straffordiæ] *Is erat* Thomas Wentworthius *Prorex* Hiberniæ, *qui Læſæ Majeſtatis poſtulatus cùm ſe egregiè defendiſſet, Lege poſt latâ condemnatus eſt, cui Rex (ſumma vi adhibitâ) invitiſſimus tandem aſſenſit.*

Legi Damnatoriæ] *Illi ſcilicet recens latæ quæ illum condemnabat.*

Vociferantium Juſtitiam.] *Is enim clamor erat furibundæ Plebis* [Juſtitia, *fiat* Juſtitia] *magnis interim agminibus Parlamenti Curiam & Aulam circumſidentis, ab his præcipue inſtigatæ, qui timebant ne hæc Lex perferretur.*

Scitum illud poſterius.] *quo cavebatur, ne deinceps obtineret hæc in* Straffordii *cauſa procedendi ratio, cùm ſint aliàs exempla* Parlamentaria *maximæ apud Anglos Authoritatis.*

CAP. III.

Quinque Ordinis Illius Membra.] *Hi erant* Joannes Pymmius, Joannes Hamdenus, Denſelus Hollisius, Arthurus Haſelrigius, *&* Guilielmus Strodius, *quibus, cum Regi deferrentur ſeditionum capita, poſtquam denunciaſſet accuſationem, miſſo ad* Domum Inferiorem *ſatellite, ſpretus illic & repudiatus, perrexit ipſe in Domum ut præſens in Iudicium repeteret.*

CAP. IV.

Illa *Epiſcoporum* Declaratio.] *qui cum eſſent pars* Domus Procerum *male habiti à Populo & perterriti ut in* Domum *venire non auderent, proteſtabantur ſe pro irritis habituros quæ abſentibus Ipſis perlata, unde plurimi in Carcerem conjecti.*

Alba Aula.] *Domus Regia Londini.*

CAP. V.

Legem *de Triennali* Parlamento.] *Ut cum prius* Parlamenta *ad arbitrium Regis crebriùs non-*

nonnunquam aut rariùs indicerentur, nuper per plures annos intermiſſa, jam ſingulis Trienniis neceſſariò cogerentur.

Vi poſteà, & profeſſâ hoſtilitate infectum reddere.] *Id enim de Rege ſpargebant, quaſi Exercitum nuper contra Scotos conſcriptum Vrbi vellet admovere, ut Parlamento vim faceret.*

CAP. VI.

Negativæ Vocis.] *Ita enim vocatur illud Regis ſuffragium quo contradicit liberè cuicunque rogationi, & rata omnia facit, vel irrita.*

CAP. VIII.

Cum ab Hulla.] Hulla *Oppidum in Angliâ maritimum cujus Arx eſt munitiſſima, magnum Regis Hoplophylacium, cujus præfectus* Johannes Hothamius *Regem illuc venientem excluſit, atque initium bello dedit, qui deinde inclinatæ fidei ſuſpectus cum majore natu Filio ab ipſis Partis ſuæ hominibus Capite multatus eſt.*

Arcis Londinenſis Colle.] *Loco ſupplicii.*

CAP. IX.

Supervacua Verborum Parentheſi.] *Ita enim in omnibus ad Duces Belli mandatis Regis ſemper Perſonam excipiebant, cùm à nullo minus abſtinerent.*

Nonnulli receſſerint.] *Multi ex utroque Ordine quibus nihil pernicioſius, quam ſi in Regem æquiores crederentur.*

Lex illa de Radice *&* Germine.] *Ea enim*

verba erant rogatæ Legis, ut Hierarchia Eccleſiæ in Radice & Germine aboleretur, quod & frequens uſurpabant in ſeditioſis Orationibus & Clamoribus.

Delinquentes.] *Ita enim omnes vocabant, qui Regi adhærebant, in defenſione Prærogativæ ſuæ & Legum, quos inviſos Populo reddebant ut malos Conſiliarios, & Arbitrarii Regiminis Promotores, &c.*

CAP. X.

Glorioſum Me Regem *effecturos.*] *Id enim quo Populum facerent, ubique venditabant ſe* Regis *commodis ſtudere, & ſi ſibi auſcultaret Glorioſiſſimum effecturos.*

Juramentum tueri.] *A quolibet Rege Angliæ in Inauguratione ſua ſuſceptum.*

CAP. XI.

Quam Tyrones ſint valdè in Re Politica.] *Multi valdè adoleſcentes, & tenui fortuna & educatione, Municipiorum præſertim Deputati.*

Reſcripti Verba.] *Authoritatem dantis Eligendi.*

CAP. XII.

Re*bellione* Hibernica.] *Quæ (turbatis rebus in Anglia ſed nondum Bello declarato) erupit.*

Præpoſterum illum rigorem.] *Qui nec illis locum veniæ relinquebant, proſcriptis fortunis & ſub haſta poſitis; cum nondum Illos in poteſtatem redegiſſent.*

Armorum aliquâ Ceſſatione.] *Nempe ut Anni unius induciæ fierent, quod factum eſt ex Sententia eorum qui* Regi *erant à Conſiliis in Hibernia, id vehementer flagitantibus Primariis Belli Ducibus.*

CAP. XIII.

Lex illa Pacificationis.] *Quâ nuper omnes controverſiæ inter* Regem *&* Scotos *qui non ita pridem Arma moverant, compoſitæ videbantur & diremptæ.*

Regimen à *Jeſu Chriſto* inſtitutum.] *Id enim paſſim Illi crepabant quaſi ſuum illud eſſet peculiare.*

CAP. XIV.

De *Fœdere.*] *Creſcente* Regis *Fortuna cum jam pars adverſa inclinaret, evocatis in auxilium Scotis in Fœdus ſeu Ligam una juravere.*

Cujus Capita erant præcipua, ſe Religionem *Reformatam in Scotia in Doctrina, Diſciplina, Cultu &* Regimine *conſervaturos, contrà,* Religionem *in Anglia (velut omnium corruptiſſimam) in his quatuor præfatis, reformaturos,* Regimen *verò Eccleſiaſticum per Epiſcopos (quod una cum Superſtitione, Hæreſi, Schiſmate, Impietate copulant) penitus extirpaturos: Parlamentorum Privilegia &* Regnorum *Libertates illimitatò defenſuros,* Regiam *autem Perſonam & Authoritatem cum Limitatione, in Veræ* Religionis *Libertatumque* Regnorum *conſervatione (quâ clauſulâ, quandocunque libue-*

rit debitam Regi obedientiam ſubtrahere, quod prætexant deeſſe non poteſt) denique Omnes Malignantes & Incendiarios (quo nomine Omnes Regi adhærentes vel in hoc Fœdus non conſenſuros incluſerant) ſe detegere conaturos & ad cognitionem Publicam & pœnas trahere.

Extat Liber ſingularis, Judicium Vniverſitatis Oxonienſis *de Solenni Liga & Fœdere, in quo ſinguli Illius Articuli accuratiſſimè examinantur & refelluntur.*

CAP. XV.

Dei Cauſa. Bono Fini.] *Verba multum ab illis uſurpata præſertim à Concionatoribus è Suggeſtis in Regem intonantibus.*

Foriſque laceſſitus.] *Quando fuit in Hiſpania, à Ieſuitis & ipſo Pontifice.*

Religionum farrago.] *In qua trecentas nonnulli Sectas numerant.*

Papiſtarum auxilia.] *Quorum alii ex Officio Illi militârunt, multi cum aliàs ſalvi eſſe non poterant, in Regis Caſtra compulſi.*

Pravos Conſiliarios.] *Hos enim in omni* Declaratione *vehementer exagitabant, vel potius ſub hoc Nomine Regem ipſum.*

CAP. XVI.

Ludibria *in* Libro utentes.] *Eo enim audaciæ ventum erat, ut Miniſtros in Eccleſiis legentes deturbarent è Sede, & Librum inibi lacerarent; & multa alia Fœda & impia.*

Æque verba ac ſenſum?] *Ita enim* Directorium

rium *quod Liturgiæ vice ſubſtituebatur Argumentum præſcripſit & Materiam Orationum, cæterarúmque Sacrarum* Celebrationum, *permiſſa Verborum Libertate.*

Pars maxima ſubſignarent.] *Cùm alia Lege in Anglia initiari Sacris Ordinibus non poſſint.*

Quod pro Me toties Orare inſtituit.] *Ter enim vel quater in Matutino Officio pro* Rege *oratur.*

CAP. XVII.

Chriſti Gubernationis; Sceptri.] *Quibus Libri eorum & Conciones abundant.*

CAP. XVIII.

Tractatu Uxbrigenſi.] Uxbrigia *Oppidum in Anglia inter Oxonium (in qua* Rex tum *agebat) & Londinum media, in qua tertio jam Belli Anno miſſis utrinque Delegatis agebatur de Pace, ſed cum nihil æqui impetrari potuiſſet, fruſtrà.*

CAP. XX.

Conventus Theologorum Inſolito more.] *Quia mos ſolitus & legitimus erat, ut Mandato Regis præeunte, certi Theologi à Clero in ſuis ſeorſim Provinciis deputarentur in* Synodum, *quæ ſua Iura & Privilegia habebat, cùm jam pauci eſſent duntaxat in Concilium vocati quos* Uterque Conſeſſus *nominaverat.*

CAP. XXI.

Literas meas interceptas.] *A prælio illo inſe-*

infælicisſimo Nasbejenſi *cum cætera* Regia *ſupellectile, & mox odioſè divulgatas.*

CAP. XXII.

Diſſimulato habitu.] *Nempe Eccleſiaſtico, quo duobus vel tribus comitatus ad* Scotorum *Caſtra confugit.*

CAP. XXV.

Beneficio Cleri ſui.] *Alludit ad id quod in Anglia appellatur* Beneficium Cleri, *nempe Gratia quædam in nonnullis Capitalibus Iudiciis indulta, quá convictus maleficii, ſi partem aliquam Sacræ Paginæ ut* Clericus, *id eſt, Latinè legerit, à Capitali Sententia liberatur.*

CAP. XXVI.

Hac Mei raptione.] R*ex in* Holmbeja *Cuſtoditus, dum ageretur in* Domo Utraque *de remittendo Exercitu, nocte quadam à Cohorte Armata interceptus eſt, & ad Exercitum perductus, unde Magnæ Mutationes inſecutæ.*

ERRATA.

Pag, 28. *lin.* 9. perfectà *leg.* perſpecta.
Pag. 160 *lin.* 30. *dele* ut.
P. 243. *lin.* 10. antiquorum *leg.* aliquorum.

01 A 6Z 4.218